STULA AD GALATAS

AD FIDEM

OPTIMORUM CODICUM VULGATAE

RECOGNOVIT

PROLEGOMENIS

INSTRUXIT

VULGATAM CUM ANTIQUIORIBUS VERSIONIBUS

COMPARAVIT

PETRUS CORSSEN.

BEROLINI
APUD WEIDMANNOS
MDCCCLXXXV.

Bible. N.T. Galatians. Latin.

EPISTULA AD GALATAS

AD FIDEM

OPTIMORUM CODICUM VULGATAE

RECOGNOVIT

PROLEGOMENIS

INSTRUXIT

VULGATAM CUM ANTIQUIORIBUS VERSIONIBUS

COMPARAVIT

PETRUS CORSSEN.

BEROLINI
APUD WEIDMANNOS
MDCCCLXXXV.

Scripturae divinae in Latinum versae tot paene exemplaria quot codices fuisse S. Hieronymus ad Damasum papam in praefatione in quattuor evangelia scribit. Atque multas antiquas sacrorum librorum versiones Latinas et singulis verbis et totis sententiis differentes fuisse etiam hodie facile cognoscet qui quantum earum vel libris manu scriptis conservatum vel sanctorum patrum scriptis insertum est examinaverit.

Novam editionem quae vocatur Vulgata et Veteris et Novi Test. paravisse Hieronymum sententia est et eorum, qui plures ante eum fuisse versiones negant et qui affirmant. Post Hieronymum librorum dissensus imminutus sane est. Sed qua re hoc factum sit quaerendum est. Fieri potuit, ut libri etiam atque etiam inter se collati et misti paulatim alii aliorum similiores fierent. Si vero ad unum omnes fontem revocandi sint, hanc esse illam Hieronymi editionem probatum non sit. Quis enim scit, opusne Hieronymi auctori suo superstes fuerit an vitiato et corrupto illo novum librorum describendorum fundamentum iactum sit. Psalterium quidem quod Hieronymus iuxta Graecos correxerat ipso vivo a scriptoribus ita depravatum est, ut iterum id emendare cogeretur[1].

Quaestionem de Vulgata instituturo a libris mss., qui eam continere feruntur, colligendis et perquirendis ordiendum esse mihi visum est. His enim non satis cognitis neque diligenter inter se collatis Vulgatae ratio illustrari et si qui communis illorum fons sit decerni non potest.

Non afuit haec cura ab editione illa a Sixto V. instituta, a Clemente VIII. correcta et perfecta, quorum ille undique terrarum codices Romam congeri iusserat. Tamen ea erat huius editionis ratio, ut antiquorum codicum auctoritas, si sine nimia veritatis iniuria fieri posse videretur, non amplius valeret quam cum consuetudine fidelium conveniret. Nam cum non virorum doctorum et eruditorum scrupulis, sed hominum piorum et devotorum panis

---

[1]) Cf. praef. in psalterium.

divini avidorum desideriis satisfaciendum esset, aequum erat ea quae usu saeculorum recepta et probata erant quam maxime conservari, ne inusitatioribus lectionibus legentes vel audientes turbati a rebus sacris abducerentur. Ita tamen fieri non potuit, quin nova editio antecedentibus editionibus inprimis Hentenianis multo similior evaderet quam antiquis codicibus. Neque vero ecclesia catholica viros eruditos studia privata in genuinis ex libris mss. eruendis lectionibus impendere vetuit atque nostra aetate doctissimus Barnabita Vercellone, cuius potissimum opera studia editorum Romanorum in lucem prolata sunt, summo pontifice approbante varias lectiones librorum mss. publici iuris facere coepit, quod opus eum non perfecisse dolendum est. Atque etiam continuum Novi Test. textum Latinum antiquissimis potissimum quibusdam codicibus adhibitis viri docti evangelici et Lachmannus et Tischendorfius constituere studuerunt. Neque tamen ea librorum mss. cognitione instructi erant, ut tot temporibus locisque diversorum codicum genera familiasque discernere atque singulis cuiusque classis codicibus singulisque codicum classibus accuratius inter se collatis certiores quasdam Vulgatae recensendae normas ponere possent.

Huius operis tentandi ego consilium inire et egregiorum quorundam virorum doctorum benevolentia et commendatione usus virum excellentissimum, qui regni Borussici res ecclesiasticas scholasticas medicinales gubernat, ut opes ad rem suscipiendam et perficiendam benigne concederet adire ausus sum. Qui consiliis meis cum benevolentia exceptis mihi iuveni ignoto et inexperto summa liberalitate facultatem vires meas, si quae essent, probandi et quomodo res tractanda esset monstrandi praebuit, cum mihi mandaret, ut in partem aliquam Vulgatae ita inquirerem, quomodo universam tractare mihi in animo esset. Itaque munificentia egregii ministri adiutus bibliothecas Italiae et Lutetiae adii, ut earum copiis librorum mss. perlustratis epistulae S. Pauli ad Galatas Vulgatae Latinae antiquam formam, si fieri posset, restituerem. Qua in re quae profecisse mihi videor si in publicum propono, omnibus qui his studiis favent non ingratum me facturum esse spero. Quamquam neque omnem quae exstat librorum mss. molem perquirere potui neque ignoro quaestionem de quacumque parte Vulgatae institutam prius ad certum quendam finem perduci non posse quam universae ratio cognita et perspecta sit. Tamen qualiacumque haec sunt quae propono, qui Vulgatae operam tribuunt quidquid lucis copiae illi librorum mss., qui tenebris bibliothecarum obruti iacent, affertur laeti excipient. Si vero quae tentavi viris eruditis haud pro-

babuntur, fortasse alius quispiam incitabitur, ut mea corrigat, et si ea causa fuerit, ut opus quod animo meo obversabatur cum plausu hominum doctorum exaedificet, veniam ab aequis iudicibus impetrabo.

Priusquam in ipsam epistulam ad Galatas inquiramus, de universo statu et condicione codicum Vulgatae nonnulla dicere necesse erit.

Innumerabilia sunt et universae scripturae divinae et singularum eius partium inprimis evangeliorum et epistularum S. Pauli exemplaria, rariora scilicet antiquorum temporum, maxime communia inde a IX. saeculo. Quorum immensam copiam ad digerendam et discernendam primum externa quaedam indicia mihi sequenda videbantur. Itaque ordinem librorum eorumque in capita divisionem observavi. Mirum enim est, quantum codices in his differant. Quamquam certa quaedam sunt, quae constent. In omnibus enim Vulgatae codicibus epistulae quae in libris Latinis vocantur canonicae ordinem Graecorum, quem Latini prius non agnoverant, sequuntur; contra epistulam ad Hebraeos Latini omnibus temporibus extra numerum vel in fine epistularum S. Pauli posuerunt. Ceterae epistulae quae putantur S. Pauli unum eundemque ordinem habent praeter epistulam ad Colossenses et duas ad Thessalonicenses, quarum modo illa modo hae priorem locum obtinent. Ceterum singularum Novi Testamenti partium ordo in libris semper mutatur idque consuetudine temporum et locorum.

Inde a XIII. saeculo libri N. T. hoc ordine leguntur:

> Evangelia epistulae S. Pauli acta apostolorum epistulae canonicae apocalypsis.

Codicibus s. X. usque ad XII. forma maxima oblonga in Italia scriptis hic ordo librorum communis est:

> Evang. acta apost. epistulae canon. apocalypsis epist. S. Pauli.

Codices in Gallia ab initio s. IX. usque ad s. X. scripti, qui ad recensionem Alcuini redeunt, hunc habent ordinem:

> Evang. acta apost. epistulae canon. epist. S. Pauli apocalypsis.

Codices in Hispania eodem tempore scriptos hunc ordinem habuisse:

> Evang. epist. S. Pauli epist. canon. acta apost. apocalypsis

est cur putemus.

Antiquiorum temporum codicum numerus minor adhuc conservatus est quam ut de ordine librorum quem sequi soliti sint aliquid dici possit.

Iam ab antiquis temporibus mos erat singulos divinae scripturae libros in capita dividere et singulorum capitum argumentum breviter enarratum singulis libris praemittere. Atque harum capitulationum quae vocantur (de quibus v. Jos. Thomasii cardinalis opp. t. I.) multae variaeque ad eosdem libros pertinentes in variis codicibus exstant eaeque, ut tituli capitulationum cum ipso textu librorum collati probant, partim antiquiores quam Vulgata. Neque earum quas distinximus classium singuli codices hac in re prorsus inter se consentiunt. Ita sola in eorum qui ad Alcuinum referendi sunt codicum classe evangelium Matthaei non minus quinque diversas capitulationes habet.

Tamen ad familias codicum distinguendas et rationes quae sint inter codices cognoscendas capitulationes diligenter examinatae aliquantum conferunt; quamquam interdum libri qui in capitulationibus consentiunt in lectione plus aliis dissentiunt. Nam capitulationis et textus ipsius fontem eundem esse necesse non est. Quid, quod libri interdum modo plane diverso quam capitulationibus indicatum erat divisi sunt? Velut codex quidam Modoetinus, qui est e recensione Alcuini (cf. p. 11) eam quae horum codicum propria videtur esse in acta apostolorum capitulationem servavit, sed ipsa acta secundum aliam quandam capitulationem, quam posteriores huius classis codices receperunt, distinxit.

Quae quo modo facta sint exemplo codicis Fuldensis illustrari potest. Cuius scriptor duo exemplaria ante se habuit, quorum alterum descripsit, alterum postea ad suum codicem corrigendum adhibuit. Horum duorum codicum is quem descripsit epistulam ad Hebraeos ipsam quidem per 125 capita distributam, capitulationem praemissam nullam habebat, ut in codice Amiatino apocalypsis 25 capitibus distincta est, capitulatio deest. Iam scriptor codicis Fuldensis ut id quod deerat suppleret capitulationem ex altero codice petivit, quae tamen, cum 12 capita habeat, ipsius epistulae divisioni minime respondet.

Docet capitulationum copia, quanta fuerit exemplarium varietas et quo modo diversae originis codices inter se misti et turbati sint. Nam rarissime accidit, ut si quis novum exemplar vel ipse paraverat vel parari iusserat ad codicem descriptum non alium aliquem adhiberet, cuius ope suum textum corrigeret vel unde varias lectiones in margine vel inter lineas novi exemplaris transcriberet. Ita novum quodque exemplar quasi nova quaedam editio erat. Quod quamquam scio quodam modo in omnes qui per medium aevum describendo propagabantur libros valere, tamen quo maior numerus

exemplarium quae describebantur erat, eo plures causae lectionis mutandae nascebantur et magis magisque libros variari necesse erat.

Sed de his rebus satis in universum dictum sit. Iam de singulis codicibus videamus. Ac primum statuam, quot et qualia codicum qui ad Vulgatam constituendam apti videantur genera distinguam.

I) Codices textum antiquissimum continentes: Codex Amiatinus (A) cod. Fuldensis (F) cod. Vaticanus-Reginensis (R) cod. Parisinus 11553 (P).

II) Codices e recensione Alcuini pendentes: Cod. Vallicellanus B 6 (a) cod. Parisinus 2 (b) cod. Modoetinus (c) cod. Paulinus (d) cod. Parisinus 4 (e) cod. Parisin. 1 (f) cod. Parisin. 3 (g).

III) Codices Hispani: Cod. Cavensis (ϰ) et Toletanus (τ). Quibuscum cognata est recensio Theodulfi episcopi Aurelianensis quae continetur codice Parisino 9380 (ϑ).

IV) Codices Casinenses 552 (𝔄) et 557 (𝔅).

Praeterea testimoniis codicum eius quam supra dixi classis s. X—XII in Italia scriptorum in his prolegomenis utar. Sunt codices Sessorianus 13 nunc bibliothecae quae memoriae regis Victoris Emanuelis dedicata est (*1*), Casanatensis B I, 8 (*2*), Vaticanus 4221 (*3*), Angelicanus T I, 11 (*4*), Ambrosianus C 223 inf. (*5*) bibliothecae publicae Neapolitanae biblia quae vocantur Alfonsi (*6*) cod. Angelicanus T I, 9 (*7*).

His addendi sunt aliquot codices, qui quamquam cum codicum familiis de quibus diximus necessitudinibus quibusdam coniuncti sunt tamen uni quisque certae classi tribui non possunt.

Ambrosianus B 48 sup. s. IX. Continet epistulas S. Pauli et canonicas (*8*). Vaticanus-Palatinus 57 s. X. Continet epistulas S. Pauli (*9*). Bibliothecae Vallicellanae Tom. XIII f. 1—69 quibus continentur epistulae S. Pauli s. X. (*10*). Eiusdem A 19 s. X. Continet post Bedae commentarium in Marcum et Lucam epistulas Paulinas, acta apostolorum, epistulas canonicas (*11*). Sessorianus 3 s. XI. Continet sacrae scripturae alteram partem incipientem a proverbiis (*12*). Angelicanus A 5, 14 s. XIII. Continet evangeliorum harmoniam eandem quam cod. Fuldensis, epistulas S. Pauli, acta apostolorum usque ad cap. 26 (*13*).

Codicem Amiatinum diligentissime descripsit Bandinius in catalogo bibliothecae Leopoldinae Laurentianae t. I. p. 711 sqq. Quem quidem fugit rationem quandam inter hunc codicem eosque quos Cassiodorius scribi iussit[1]) intercedere, e quibus unum certe

[1]) V. Cassiodorius de institutione divin. litterarum cap. XII. sqq.

scriptori cod. Amiatini notum fuisse in annalibus theologicis t. IX. p. 619 sqq. demonstrare atque ipsum codicem Vivarii in coenobio a Cassiodorio condito sub fine s. VI., id quod etiam rationes palaeographicae confirmant[1]), scriptum esse probare studui. Novum Test. e codice Amiatino edidit Tischendorf; epistulam ad Galatas ego denuo contuli.

Codicem Fuldensem ipsum non inspexi, sed editione E. Rankii (Marburgi et Lipsiae 1868) usus sum. Codicem scriptum fuisse anno 546 ex subscriptionibus Victoris episcopi Capuani, qui eum scribendum curavit, apparet[2]).

Eiusdem fere aetatis bibliothecae Vaticanae codicem Reginensem IX esse et forma litterarum, quae codicis Fuld. simillimae sunt, et universa libri condicio docent. Codicis specimen non admodum fidele Bianchini in libro Vindiciae scripturarum canonicarum p. CCLXXXIII. exhibuit. Codex non continet nisi epistulas S. Pauli.

Aliquot saeculis post et certe non ante s. IX. quem in hac classe posui quartum scriptus est codex Parisinus 11553. Qui Antiqui Test. libros inde a psalmis et Novi omnes addito libro Hermae pastoris complectitur. Textus autem huius codicis, ubicumque eum in N. T. inspiciebam, eam redolebat antiquitatem, ut e codice eiusdem aetatis, cuius tres quos supra nominavi sunt, hunc descriptum esse mihi quidem persuaderetur. Contuli epistulam ad Galatas accuratius nec gravius me erravisse spero; tamen vellem codicem iterum collatum haberem, nam de levioribus quibusdam rebus nunc non possum non dubitare, id quod in commentario critico interrogationis signis indicavi.

Quorum quattuor codicum si librorum dispositionem et capitulationum apparatum comparamus, haud levem inter eos esse discrepantiam intellegimus.

Primum enim libros Novi Test. hoc ordine exhibent

A: evang. acta apost. epist. S. Pauli epist. can. apocal.
F: evang. epist. S. Pauli acta apost. epist. can. apocal.
P: evang. acta apost. epist. can. apocal. epist. S. Pauli.

In epistulis S. Pauli A et P Colossenses ante Thessalonicenses, F et R Colossenses post Thessalonicenses ponunt. Praeterea F post Colossenses epistulam ad Laodicenses recepit.

Deinde in capitulationibus multum differunt. P in epistulas Paulinas, canonicas, apocalypsim capitulationes omnino non habet;

---

[1]) Cf. Zangemeister et Wattenbach Exempla codicum latinorum.
[2]) Cf. Ranke prolegomena p. VIII.

quae sunt in acta et in evangelia neque cum F neque cum A congruunt.

F et A easdem capitulationes habent inde a I. ad Corinthios usque ad epistulam ad Philemonem et in epistulam Jacobi et I. Petri. Ceterarum epistularum canonicarum capitulationum tituli differunt, numerus capitum idem est. In capitulatione epistulae ad Romanos differunt 23 primi tituli. De capitulatione in Hebraeos v. infra. Capitulationem in apocalypsim omisit A, ipsum librum eodem modo atque F divisum habet. Capitulationes in acta plane differunt, in evangelia fieri non potuit ut congruerent, quia F quattuor evangelia in unum librum contracta habet.

R peculiarem quandam capitulationem multo pauciorum capitum habet. Cum huius capitulatione in Hebraeos consentit ea quae est in F, de qua supra (p. 6) dictum est. Secundum hanc epistula, quae prius aliter divisa erat, a manu posteriore distincta est. Utra enim divisio prior sit, dubium esse nequit, cum priorum capitum initia non solum numeris, sed etiam primo cuiusque capitis versu rubro colore picto indicata sint[1]). Hac re id quod supra affirmavimus demonstratur codicis Fuldensis auctori duo exemplaria adfuisse, id quod novis argumentis infra confirmabimus (p. 16 sq.).

Codices de quibus disseruimus alium ex alio non pendere iis quae exposuimus probabile fit. Quae igitur communia habent, si alius ab alio non accepit, ex communi quodam fonte deducenda sunt. Qua de re videbimus, cum de ceteris tribus codicum familiis egerimus.

Secundae classis codicum Parisinum 1 [2]) (f) a Viviano monasterii S. Martini Turonensis abbate et monachis eius regi Carolo Calvo dono oblatum esse docent versus in honorem Caroli regis scripti qui in fol. 422 r. leguntur[3]). In suo monasterio Vivianum hunc codicem etiam scribendum curavisse nostro iure sumemus.

---

[1]) Cf. Ranke p. 492.

[2]) Cf. Delisle Cabinet des manuscrits t. III. p. 234.

[3]) Versus qui et in hoc codice et in Parisino 2 (cf. p. 10) insunt Baluzius capitularia t. II. col. 1566 sqq. exhibet. — De Viviano v. Mabillon annales Benedictinorum t. II. p. 658. Et Vivianus et Aregarius qui cum duobus aliis monachis in illis versibus nominantur, ex instrumento quodam, quod a Mabillone in appendice t. II. p. 746 exhibetur, nobis noti sunt. Benedictini, quorum sententia etiam viro illustrissimo Delisle arrisit (v. l. l.) hunc codicem Caroli Magni temporibus vindicare studuerunt (v. nouveau traité de diplomatique t. III. p. 133), cum in versibus qui per codicem sparsi sunt, Carolo illi nomen David inditum sit, quo Alcuinus Carolum appellare solitus sit. Putant igitur hunc codicem ab Alcuino Carolo Magno destinatum, sed nescio quam

Cum hoc codice Parisinus 3 (g)[1] et lectione et capitulatione et ordine librorum et mensura membranae prorsus consentit neque aliud inter eos interest nisi quod magnificae litterae initiales et imagines minio pictae, quibus ille ornatus est, in hoc desiderantur. Cum vero unde sit, nullo modo indicatum sit — nam quae in ultimis foliis originis eius vestigia videntur inesse, quibus Delisle aliquid momenti tribuere videtur, nulla sunt; recte enim idem vir doctissimus postea illa folia codici adiuncta esse dicit — etiam hunc codicem in eo monasterio, cui Alcuinus olim praefuit, circa medium saeculum IX. scriptum esse declarandum est.

Eandem originem esse etiam eius qui in bibliotheca ecclesiae cathedralis S. Johannis quae est Modoetii asservatur codicis putaverim[2]). Nam et genere et forma litterarum illis similis est et nomen scriptoris in versibus, qui sunt in fine, Amalricus[3]) legitur, quod nomen in subscriptione instrumenti laudati tertio loco exstat.

Parisino 1 forma magnificarum litterarum initialium atque genere et argumento picturarum simillimus est codex qui inde a temporibus papae Gregorii VII., ut videtur, in monasterio S. Pauli extra muros Romae sito asservatur (d). Sed textus litteris Carolingicis minore forma et clariore colore exaratus est. Praecedit in f. 2 v. prologus versibus compositus, quibus item Carolus quidam rex a scriptore, qui nomen suum Ingobertum esse dicit, celebratur.

Quintus temporibus Caroli Calvi assignandus est cod. Parisin. 2 (b) et ipse splendidissimis aureis litteris initialibus ornatus diligentissimaque scriptura exaratus, tamen genere et initialium et scripturae a Parisino 1 aliquantum diversus. Huius quoque scriptor carmine Carolum regem immoderatis laudibus effert.

His adiungendus est codex qui Romae in bibliotheca Vallicellana asservatur signatus B 6 (a). Tribus columnis litteris codicis Paulini similibus diligentissime exaratus est; ornamentis caret.

Aetate his paulo inferior est Parisinus 4 (e) cuius lectiones

---

ob causam non traditum postea carmine in fine addito a Viviano Carolo Calvo oblatum esse. Neglexerunt autem, quod in hoc ipso carmine (f. 422) Carolus cognomine David ornatur. Neque verum est quod illi affirmant folium in quo hoc carmen scriptum sit diversum a ceteris esse, nisi quod litterae aureae nescio quo casu in hoc minus bene quam in ceteris conservatae sunt.

1) Cf. Delisle l. l. p. 250.

2) Cf. Frisi memorie storiche di Monza t. III. p. 21.

3) In codice lacuna exstat inter *l* et *s*. Versus sunt:

hos tandem d . . . . . ca . . . . . auit dextera libros
exiguus $\overline{\text{xpo}}$ deuotus famulus almo
amal . . . . s ouans atq. hic sua otia fregit.

a manu posteriore passim mutatae sunt, qua de re alio loco agendum erit.

Hi eorum quos ego codices Alcuinianos cognovi gravissimi et ad lectionem Alcuinianam constituendam aptissimi mihi videbantur. Alios eiusdem aetatis et gravioris fortasse auctoritatis in bibliothecis quas adire nondum potui exstare haud ignoro. Sed diligentius inter se collatos recensionis Alcuinianae, quantum nostro proposito sufficiat, cognoscendae etiam hos facultatem praebere puto.

Alcuinum iussu Caroli Magni Antiquo Novoque Testam. emendando operam dedisse ipse in epistula quae est ad Gislam et Columbam testatur[1]). Editionem Alcuinianam multis exemplaribus per Galliam divulgatam fuisse copia librorum inter se similium adhuc exstantium probatur. Sed mox a communi origine libri discedebant. Constat sane in plurimis ordo librorum Novi Test. Nam 16 codicum, qui e recensione Alcuiniana pendent, tres solum, inter quos est Paris. 4 (e) eum, quem supra huius classis esse ordinem dixi reliquisse atque in eum, quem posteriores libri Italici sequi solent, (v. p. 5) transiisse animadverti. Sed vix quinquaginta annis post editionem Alcuinianam natam codices in capitulationibus ita differunt, ut etiam diversae originis libros in codicibus Alcuinianis describendis adhibitos esse appareat. In evangeliis soli f et g inter se consentiunt. In acta apostolorum eam quae Alcuiniana videtur capitulationem capitum LXVI, in apocalypsim capitum XXXVIII retinuerunt a b e, mutaverunt cum eis quae insunt in codice Fuldensi in acta capitum LXXIIII, in apocalypsim capitum XXV d f g c, quorum tamen ultimus ipsa acta capitibus LXVI, apocalypsim simul secundum codicum a b e et secundum codicis Fuldensis capitulationem divisam habet. Similiter in epistulas canonicas a b d peculiarem quandam capitulationem habent, contra f et g eandem atque cod. Fuldensis; e in epistula Jacobi consentit cum a b d, in ceteris cum Fuldensi; c in omnibus cum Fuldensi, sed Jacobum Petrum I. et II. Judam totidem capitibus quot a b d divisos habet. Denique in epistulis S. Pauli inter se consentiunt a d e, discedit ab eis in epistula ad Romanos, quam capitulatione omissa modo diverso divisit, c, in omnibus b et qui inter se consentiunt f et g.

Atque etiam lectiones alienae in codices Alcuinianos immigrabant. Ita f et g, qui capitulationum, quae Alcuinianae videntur, nullam in Novo quidem Test. servaverunt et soli quantum scio e numero codicum Alcuinianorum epistulam ad Laodicenses inter

[1]) Cf. bibliotheca rerum Germanicarum t. VI. p. 529 ep. 136.

epistulas Paulinas receperunt, etiam in lectione, quamquam vestigia originis Alcuinianae minime prorsus deleverunt, nonnulla novaverunt. Cf. Gal. II, 5. III, 6. 16. Neque reliqui codices Alcuiniani alienis lectionibus liberi sunt. Ut unum afferam exemplum quo demonstretur, quo modo antiquae lectiones submotae sint: Gal. II, 4 Alcuinus legit *propter introductos*; manus primae simillima in a suprascripsit *sub*; in d a prima manu *propter subintroductos* exhibetur.

Libris sacris emendandis etiam aequalis Alcuini Theodulfus episcopus Aurelianensis operam dedit. Cuius studia codice Parisino 9380 cum codicibus Cavensi et Toletano collato illustrata erunt.

Horum alterum, qui in bibliotheca monasterii S. Trinitatis prope Cavam siti asservatur, in appendice t. I. Codicis Diplomatici Cavensis diligenter descripsit B. Gaetani d'Aragona. Ibi etiam scripturae eius specimen exhibetur; quod qui accurate examinaverit et cum monumentis scripturae Visigoticae comparaverit mecum iudicabit falsos esse viros doctos, qui adhuc omnes quantum scio litteris Langobardicis codicem scriptum esse affirmaverunt, cum artis scribendi Visigotorum luculentum specimen sit. Quod cum ita sit, facile intellegitur quomodo factum sit, ut hic cum codice Toletano, cuius varias lectiones Bianchini (cf. Vindiciae scripturarum canonicarum p. XLIX. sqq.) vulgavit, scripturae specimen Ewald et Löwe (v. Exempla scripturae Visigoticae tab. IX.) exhibuerunt, magno opere consentiat. Cum utroque autem codex Parisinus 9380 multis partibus congruit.

Et κ et τ[1]) paginas in ternas columnas divisas habent. ϑ quamquam scriptura Carolingica in eo adhibita est, nitidissima et elegantissima eademque minima forma litterarum codici κ ita similis est, ut alterius scriba alterum aemulari voluisse videatur. Accedit quod in ϑ prologus in omnes sacrae scripturae libros (f. 3) et in κ praefatio S. Hieronymi in evangelia ita scripta est, ut parte paginae vacua relicta reliquum spatium formam crucis habeat, id quod in aliis codicibus numquam animadverti. Videtur igitur scriptor codicis Parisini exemplar Cavensis simillimum, quod imitaretur, ante oculos habuisse.

Mentione dignus est etiam quidam in orthographia inter κ et ϑ consensus. Quae enim forma familiaris est Cavensi *quum* (in ep. ad Gal. II, 3. 7. 9. 14 bis. III, 3. IV, 1. 3. 9. 18. VI, 3 et in ϑ occurit ibidem quinquies (I, 15. II, 3. 7. 9. 11). *qu* pro *c* habet ϑ etiam in *sequuti* (VI, 16) et *persequutionem* (V, 11.

---

[1]) Cf. Arevalus Isidoriana t. I. p. 306.

VI, 12); *κ* in *quoetaneos* (I, 14). Ceterum etiam peculiari codicis Cavensis orthographia facile demonstrari potest, si opus esset, codicem in Hispania scriptum esse.

Praeterea apparatum praefationum et capitulationum hi codices magnam partem communem atque ab aliis diversam habent, velut canones a Priscilliano haeretico ad locos similis argumenti in epistulis S. Pauli inveniendos compositos[1] atque *κ* et *ϑ* (nam de *τ* ignoro) praefationem quandam in apocalypsim verbis 'Beatus Johannes' incipientem[2]. Et in *ϑ* et in *κ* prologi in epistulas canonicas verba quibus incipit 'Non ita ordo est apud Graecos' desunt. Uterque testimonia Veteris Test. et nomina Sanctorum quae in epistulis occurrunt singulis epistulis praemissa habet. Denique in capitulationibus epistularum Paulinarum plane congruunt. Sed differunt in capitulationibus aliorum librorum velut epistularum canonicarum et actorum apostolorum. Et *τ* et *ϑ* praefationes quasdam Isidori, quae in *κ* desunt, continent[3], velut *ϑ* illam 'Vetus testamentum ideo dicitur'[4].

Ordo librorum Novi Test. quae est in *τ*[5] diversus est ab eo quem tenent *κ* et *ϑ*:

κ et *ϑ*: Evang. epist. Pauli epist. canon. acta apost. apocal.
τ: Evang. acta apost. epist. Pauli epist. canon. apocal.

In lectione *κ* et *τ* maxime inter se congruunt. Textus epistularum Pauli praecipue in *κ* aliquantum purior, in aliis Novi Test partibus ut in epistulis canonicis a ceteris codicibus quam maxime diversus est[6]. Sed cum *ϑ* haud pauca eorum quae in his epistulis peculiaria habent iis communia vel similia sunt. Cuius rei exempla aliquot e I. epist. Petri proferam:

I, 12 *sibimet κτϑ sibi* AF II, 9 *illud admirabile lumen κτϑ illud* om. AF III, 3 *capillorum inplicatio κτϑ capillatura* AF I, 14 *non configurantes uos illis prioribus κτ non figurantes uos illis prioribus ϑ non configurati prioribus* AF.

Ubi *κ* et *τ* inter se dissentiunt, *ϑ* ad *τ* propius accedere solet velut:

---

1) Cf. Arevalus Isidoriana t. I. p. 307. — Praefationes Priscilliani et Peregrini cuiusdam episcopi, qui canones hos in sacram scripturam introduxisse videtur, in Codice diplom. Cavensi exhibentur.

2) V. ibidem.

3) Cf. Arevalus t. I. p. 306.

4) V. Isidori etymologiarum l. VI. 1.

5) Cf. Bianchini Vindiciae p. CCXIII.

6) Cf. Ziegler Sitzungsberichte der Akademie der Wissensch. zu München 1876 p. 656 sqq.

I. Petr. IV, 12 *expauescere feruorem* ϰ *expauescere in feruore* τ ϑ *peregrinari in feruore* AF IV, 7 *et sobrii in orationibus* ϰ *et sobrii in orationibus uigilantes* τ *sobrii et uigilantes in orationibus* ϑ *et uigilate in orationibus* AF.

Ut his locis in τ et ϑ antiqua vulgari lectione corrupta est, ita ϑ saepius antiquam cum vulgari lectione mistam habet velut: I Petr. III, 15 *de fide et spe quae in uobis est* ϰ τ *de ea quae in uobis est spe* A *de fide quae in uobis est et spe* ϑ IV, 17 *tempus inquoationis iudicii* ϰ τ *tempus ut incipiat iudicium* A *tempus incoationis iudicium* ϑ.

Recentissimus horum codicum τ est, qui circa medium saeculum X. videtur scriptus esse. Inest enim in eo subscriptio Johannis episcopi Cordubensis [1]), qui eum a Servando divae memoriae eius auctore et possessore sodali intimoque suo se accepisse atque anno DCCCCLXXXVIII. ecclesiae Hispalensi dono dedisse dicit. Negant Ewald et Loewe Johannem verum dixisse et 'auctorem' significari eum quo antiquiorem a. 988 nominatim afferre non potuerint putant. Sed nisi Johannes certo scivisset Servandum codicem scribendum curavisse, qua re adductus sit ut hoc affirmaret ego quidem nescio. Atque etiam alia spondent codicem Toletanum haud paulo recentiorem Cavensi esse. Nam ϰ multo propius quam τ ad communem originem accedit. Ita τ scholion quoddam in I. epistulam Petri quod est in margine codicis ϰ cum verbis epistulae commistum et per ceteros libros alios locos aliter interpolatos habet, quos ϰ sine mendis exhibet.

ϰ saeculo VIII. scriptus esse dicitur et exemplis scripturae Visigoticae ab Ewald et Loewe editis comparatis mihi quoque persuasum est. Codicis cuiusdam saeculi VIII. scriptura tabula VII. expressa inprimis Cavensis similis est, quamvis ille minore arte et grandioribus crassioribusque litteris exaratus sit. Neque scripturae et cursivae et uncialis vestigia quae in illo inesse editores adnotaverunt (v. p. 6) in Cavensi desunt; nam et *a* cursivam et *r* uncialem saepius animadverti. — Variae lectiones in margine codicis ϰ inprimis in eos libros, qui cum vulgari textu magis discrepant, additae sunt; praeterea adnotationes quaedam varii argumenti et ad Arrianos impugnandos potissimum scriptae [2]).

Plures huius generis codices olim fuisse et fortasse etiamnunc exstare e ratione quae inter hos intercedit coniecerim et ϰ et τ pro exemplis codicum familiae olim per Hispaniam dispersae habuerim.

[1]) Ediderunt post alios Ewald et Loewe p. 7.

[2]) Cf. Ziegler p. 658 sq.

In ϑ versus quidam leguntur quibus Theodulfus se esse auctorem codicis dicit. Tamen hic codex non idem est atque is, quem ille scribi iussit tamquam exemplar sacrae scripturae qualem eam ornatam et recensitam vellet, sed fortasse ex hoc ipso descriptus est. Exstat enim alter codex, qui asservatur in ecclesia urbis du Puy, huius tam similis, ut exteriore habitu vix differant[1]). Contulit hos per duos libros Regum Delisle ita, ut luculentissimo exemplo demonstraret, quomodo libri ad unum exemplar redeuntes variati essent. Erant enim in margine codicis Theodulfi variae lectiones adscriptae, quarum qui codicem post describebant, alias rursus in margine suorum librorum ponebant, alias omittebant, alias pro antiqua lectione substituebant. Nam in margine vulgares fere lectiones adscriptae erant. Iam earum alter codex multas omisit, quae insunt in Parisino, paucas habet, quae in illo desunt, nonnullas in contextu posuit; contra in Parisino nulla antiqua lectio e textu remota est. Quae ratio, si per omnes libros sacros constet, id quod probabile est, scriptorem codicis Parisini accuratius quam alterius exemplar Theodulfi reddidisse iudicandum est.

Lectiones codicis Parisini ex Hispanis et vulgaribus mistas esse vidimus. Occurrunt autem in eo in epistula ad Galatas nonnullae lectiones, quae neque in $\varkappa$ et τ neque in ceteris libris mss. Vulgatae inveniuntur (cf. I, 19. II, 21. III, 28. IV, 20. 26. V, 14. VI, 11). Apparet igitur Theodulfum tres certe codices diversissimos ad textum sacrum constituendum adhibuisse.

Denique duo codices Casinenses 552 ($\mathfrak{A}$) et 557 ($\mathfrak{B}$) recentiores quidem, alter XI. fere saeculi, alter XII.—XIII., sed textum certe haud paulo antiquiorem exhibentes neglegendi esse non videntur. Ordinem librorum Novi Test. cum codicibus X. et XI. saeculi communem habent:

Evang. acta apost. epist. canon. apocal. epist. Pauli (desunt tamen evangelia in $\mathfrak{A}$); sed singularem quandam capitulationem S. Pauli exhibent, nisi quod $\mathfrak{B}$ in epistulam ad Romanos eam quae codicibus saeculi X. et XI. familiaris est adhibuit. Illam solo in Casinensi 203 s. XIV. cum illis cognato inveni[2]). Fuisse hanc capitulationem etiam codicis Vallicellani *B* 7 apud Thomasium I. p. 384 sqq. legimus. Qui codex ubi et num hodie exstet, ignoratur; in bibliotheca Vallicellana inde ab initio huius saeculi desideratur.

---

[1]) Cf. Bibliothèque des chartes t. XL.: les bibles de Théodulfe par L. Delisle.

[2]) Cf. Bibliotheca Casinensis t. II. p. 313—352.

In 𝔅 multi loci a posterioribus tractati sunt, ita ut antiquae lectiones aut deletae et mutatae aut recentiores lectiones in margine adnotatae sint.

Ut primae classis quattuor codices artius inter se non cohaerere vidimus, ita ceteras tres familias aliam ab alia non pendere certissimum est. Nam et in regionibus admodum distantibus ortae sunt et universa codicum ratione multum differunt. Ergo quae iis communia sunt, ipsa qua quaeque familia nata est recensione antiquiora sunt. Quorum quantum cum antiquissimis illis codicibus convenit ex communi quodam fonte saeculo VI. antiquiore manasse necesse est.

Iam vero codicibus accuratius inter se collatis, quantumvis in singulis differant, tamen multo maiorem consensum quam discrepantiam inter eos esse videbimus.

E quattuor illis antiquissimis A et P maxime inter se congruunt, F permultum ab utroque distat, R inter AP et F medius est. Nam cum ternis inter se congruentibus discrepat F septuagies bis, R quinquagies sexies, A tricies quater, P quinquies decies.

Sed harum lectionum nonnullae secunda cura mutatae sunt. Correctiones codicis P e recentiore aliquo codice depromptas silentio praeterire licet. R vix unam emendationem subiit. A non a correctore VIII. vel IX. saeculi, ut Tischendorf affirmat (proleg. p. XXXII.) sed a manu aequali hic et illic emendatus est, quae quos tractavit in nostra epistula 10 locos omnes cum FRP exaequavit. Denique F permultis locis et ab ipso Victore et ab amanuensibus eius emendatus est[1]). In nostra epistula, ut leviora omittam, 16 locos mutaverunt et ita, ut consentiant cum ARP 5 vel 6: I, 16 *euangelizarem* II, 16 *scientes autem* ibid. *propter quod ex operibus* III, 28 *unum* (R *in unum*) IV, 27 *scriptum est enim* III, 13 F² *pependit* ARP *pendet* *x* nonnullique recentiores *pendit*; cum AR 1: II, 20 *semet*; cum RP 1: II, 16 *credidimus*; cum R 6: II, 16 *iustificabitur* III, 1 *proscriptus est et crucifixus* V, 2 *prodest* V, 12 *utinam abscidantur* V, 19 *fornicationes inmunditiae luxuriae* V, 22 R *patientia longa-* *patientia*
nimitas F² *longanimitas.*

F² igitur omnibus locis praeter duos II, 11 *petrus cephas* et II, 14 *petro cephae* ubi R et A et P inter se congruunt cum R conspirat. Ter (III, 1. V, 12. 19 nisi quod pluralem *fornicationes* etiam codex *e* exhibet) omnino nulli, quantum scio, ter pauci et

[1]) Ranke (v. p. 465) tres correctores antiquos fuisse putat, quos tamen ipse non semper certo distinguere potuit.

recentiores eis subveniunt (II, 16 = *1. 10. 13.* V, 2 = *11.* V, 22 = P² *1. 12. 13.*).

Eadem ratio in ceteris epistulis Paulinis inter F² et R intercedere videtur. Certe in epistula ad Romanos A saepe, R nisi septies a F² non dissentit et ter ita, ut lectionem quae inest in A cum antiqua coniunctam habeat: Rom. VIII, 32 F² *filio proprio* A *filio suo* R *proprio filio suo.* X, 12 F² *iudaei atque gentilis* A *iudaei et greci* R *iudaei et greci atque gentilis* XV, 3 F² *nam christus* A *etenim christus* R *nam et christus.* Accedit quod R solas epistulas Paulinas continet, antiqui correctores codicis Fuldensis ceteris Novi Test. partibus alienas lectiones non immiscuerunt. Denique non praetereundum est quod codicis F capitulatio in Hebraeos, quam ex alio fonte atque cetera petitam esse docuimus, eadem est quae inest in R.

Has ob causas antiquas codicis Fuldensis correctiones omnes ex uno libro depromptas esse, quem solas epistulas Paulinas continuisse et ex eodem fonte atque R, sed priusquam vulgares illae lectiones, quas in hoc deprehendimus, in eum invectae essent, manavisse conicio.

Lectionum, de quibus supra diximus, magna pars aut vitiis orthographiae aut manifestissimis postremi cuiusque scribae erroribus constat. Nam *m* in fine verborum aut omissa aut addita, *e* et *i*, *e* et *ae*, *d* et *t*, *u* et *o*, *u* et *b*, *b* et *p* inter se mutatae similiaque saepissime occurrunt. Cuius rei si rationem habemus a numeris lectionum quos supra posuimus deducendae sunt lectiones in F 27: *gratia* I, 6 *allegoria* IV, 24 *ancilla* IV, 30 *spiritum* V, 5 *fidem* ibid. *tota* V, 9 *accepit* II, 6 *iohannis* II, 9 *morditis* V, 15 *iudaeae* (APR *iudeae*) I, 22 *aelementis* IV, 3 *aegena aelementa* IV, 9 *que* V, 6 *aput* I, 18. II, 5. III, 11. IV, 18. 20. *totoribus* IV, 2 *beneficia* V, 20 *fili* IV, 6 *spiritale* VI, 1 *inpletur* V, 14 *persequebantur* I, 23 *clarificabat* I, 24 *edebant* II, 12 *faciant* III, 10; in R 31: *in circumcisione* II, 9 *in legem* III, 11 *velle* IV, 20 *in libertate* V, 13 *dedici* I, 12 *qualis* II, 6 *iudaice* (APR *iudaicae*) II, 14 *elimentis* IV, 3 *redemeret* IV, 5 *lesistis* IV, 12 *eruesetis* IV, 15 *sterilis* IV, 27 *inanes* V, 26 *libere* IV, 30. 31. *angelos* I, 8 *scribtum* IV, 27 *fili* III, 7 *di* IV, 8 *impediuit* V, 7 *cyliciae* I, 21 *syna* IV, 25 *hyerusalem* IV, 25. 26. *aliud* pro *illud* I, 12 *curcurissem* II, 2 *euacuandum* III, 17 *dominus dominus* IV, 1 *et et* IV, 15 *seruitutem autem* IV, 24 *et* pro *ei* VI, 6; in A 16; *in arabia* I, 17 *ex repromissionem* III, 18 *uiuet* II, 20 *accipistis* III, 2 *redimit* III, 13 *ducemini* V, 18 *grecus* III, 28 *deserte* IV, 27 *aliut* I, 6. 7 *athuc* I, 10. V, 11 *dama-*

scom I, 17 *scripsi* (FRP *scribsi*) VI, 11 *eriperent* I, 4 *a uolo a uobis* III, 2; in P 6: *omnis* III, 28 *paedagogus* III, 24 *paedagogo* III, 25 *his* VI, 6 *cathechizat* ibid. *sedebat* II, 12.

Quibus locis neglectis restant peculiares lectiones in F 45 in R 25 (quarum 6 cum F^2 communes habet) in A 18 in P 9.

F: I, 7 *nisi si* I, 11 *notum autem* I, 16 *euangelizem* II, 1 *et* om. II, 2 *euangelium dei* ibid.* *uidebantur aliquid esse* II, 9 *petrus et iacobus* II, 11 *petrus cephas* II, 14 *petro cephae* II, 16 *autem* om. ibid. *ex operibus enim legis* II, 18 *instituo* III, 1* *christus ihesus* III, 6* *sicut scriptum est credidit abraham* III, 13 *pependit* III, 17 *promissionem patrum* III, 19* *repromiserat* III, 22 *repromissio* III, 24 *erat* ibid. *in christo ihesu* III, 28 *unum* om. III, 29 *uos unum estis in christo ihesu* IV, 1 *est* om. IV, 2* *sub totoribus et actoribus est* IV, 3* *huius mundi* IV, 4* *natum* IV, 6 *autem* om. ibid.* *filii dei* IV, 12 *obsecro autem uos fratres* IV, 20* *mutarem* IV, 25* *filiis suis* IV, 26 *quae sursum est autem* IV, 27 *sicut scriptum est* V 7* *uobis* V, 13* *carnis detis* ibid. *in inuicem* V, 15 item V, 17* *inuicem sibi* V, 20 *hereses* V, 24 *christi sunt* VI, 1* *mansuetudinis* VI, 3* *nihil sit* VI, 12 *placere uolunt* ibid. *in cruce* VI, 16 *et* om.

R: I, 8 *praeter quod* I, 15 *uocauit me* II, 1* *cum barnaban* II, 8 *et* om. II, 14 item II, 16 *iustificabitur* III, 1 *est et crucifixus* III, 6* *illi* IV, 6* *uestrá* IV, 9* *estis* IV, 15 *potest* V, 1* *christus nos liberauit* V, 2 *prodest* V, 12 *et* om. V, 16* *desideria* V, 17 *aduersum* bis; ibid. *et spiritus* V, 19 *fornicationes inmunditiae luxuriae* V, 21 *ebrietas* V, 22 *patientia longanimitas* V, 25* *si spiritu uiuimus* VI, 13 *hi legem* ibid. *uestra carne* VI, 14 *mihi* om.

A: I, 20 *quoniam* II, 4 *subintroi|erunt* II, 9 *et* om. ibid. *esse* om. II, 18* *reaedifico* III, 1 *ueritati non oboedire* add. ibid.* *praescriptus* III, 3* *ut* om. III, 10 *non* om. III, 13 *legis* om. IV, 1* *a* om. IV, 9 *elementa egena* IV, 25 *iunctus* V, 10 *in* om. V, 24 *suam* om. VI, 1 *instruite huiusmodi* VI, 4 *in* om. VI, 9 *suo enim*,

P: I, 6 *transferamini* II, 21 *est* om. IV, 2* *auctoribus* IV, 8 *sed — deum* om. IV, 9 *immo et* V, 6 *nam et* V, 20 *seruitutis* V, 24 *et* om. VI, 4 *habeat.*

A primae classis tribus codicibus inter se congruentibus ceterarum trium classium codices fere non dissentiunt. Sunt inter locos quos modo attulimus, quibus aut singuli aut plures codices subveniant, in F 15 in R 7 in A 4 in P 1 asterisco a me distincti.

F = ϑ III, 6, V, 13 (*carnis detis*) VI, 1 = g III, 19 = e V, 7 = 𝔄 IV, 20 = $\varkappa\tau$ V, 17 = $\varkappa\vartheta$ III, 1 = 𝔄𝔅 IV, 3 = abcdefg

IV, 2 = a τ IV, 4 = de κ VI, 3 = c d f g τ II, 2 (*uidebantur aliquid esse*) = b κτϑ 𝔄 IV, 25 = κτϑ 𝔄𝔅 IV, 6 (*filii dei*).

R = 𝔄 II, 1 = τ IV, 6 = fg III, 6 = κτϑ IV, 9 = abcdefg V, 25 = be ϑ 𝔄 V, 1 = abdefg ϑ 𝔄𝔅 V, 16.

A = κτ III, 3 IV, 1 = abcdefg II, 18 = abcdefg κτϑ 𝔄𝔅 III, 1 (*praescriptus*).

P = 𝔄𝔅 IV, 2.

Si vero codices saeculo X. recentiores, quorum supra aliquot enumeravimus, spectamus, lectionum quae unius codicis antiqui propriae videbantur haud paucas in eis deprehendimus, ut ex his intelleges.

F I, 7 = *9* I, 11 = *2 11* II, 2 (*euangelium dei*) = *4 5 7 11* II, 9 = 𝔅² *3 8 9* II, 16 (*autem* om.) = *13* III, 13 = *3 4 11* III, 17 = *8 9*¹ III, 24 = *10* ibid. = *2 3 4 5 6 7 8 11* III, 29 = *3 4 5 6 8* (om. tamen *in 5*, *unum 8*) IV, 6 *autem* = *8 9*¹ *11* IV, 12 = *11* omisso *autem 13* V, 20 = *11 hereses sectae 2 sectae hereses 9* (cf. κτ) V, 24 = *11* VI, 3 = *1 2 3 7 10 11 12 13* VI, 12 (*placere volunt*) = *11.*

R I, 15 = *13* II, 8 = *4 5* V, 17 (*et spiritus*) = *10* VI, 13 (*hi legem*) = *2 3 4 5 6.*

A III, 1 (*ueritati non oboedire*) = *1 2 3 7 8 11.*

Restat, ut duo exemplaria epistularum Paulinarum commemorem codicem Parisinum 335 s. VIII. et bibliothecae capitularis Veronensis codicem numero 74 signatum s. X., quibus cum F¹ nulli magis consentiunt. Nam cum lectionum quas ex F¹ modo attuli permultas cum eo communes habent tum quas in nullo alio codice inveni velut II, 16 (*ex operibus enim legis*) II, 18 III, 22; praeterea Paris. I, 16 IV, 26 VI, 12 (*in cruce*); Veronensis V, 13 (*in inuicem*). Sed non tam prope ad F¹ accedunt, ut inter se non cognatiores sint. Nam et aliquoties contra Fuldensem vulgarem lectionem servaverunt et rariores et quasdam plane singulares lectiones praebent velut II, 1 Paris. *cum barnabam* Ver. *cum barnaban* (= R) II, 16 *christi ihesu* III, 19 Ver. *promiserat et ordinata*, Par. litteram *t* prioris verbi in rasura habet, ita ut prius *promiserat et* scriptum fuisse videatur. IV, 15 *enim* omiserunt. V, 5 *christum* pro *spiritum* VI, 4 *ipsum* pro *ipso*. Sed etiam inter ipsos et aliis locis discrepant et gravius his, ubi alter cum vulgari lectione consentit: Par. I, 24 *glorificabant* (= 𝔄𝔅) II, 3 *graecus* III, 14 *in christo ihesu domino nostro* IV, 9 *quomodo ergo*. Veron. IV, 6 *in cordibus nostris* IV, 9 *ubi cognouistis* VI, 1 *instruite huiusmodi* (= A) VI, 8 *et metet* (= 𝔄𝔅).

Lectiones tribus antiquis codicibus commendatam etiam recen-

tioribus fere probari dixi; quamquam hi et novas quasdam lectiones adferunt. Est quoque ubi quattuor antiquorum codicum aut bini aut duo inter se consentiant. Sed eiusmodi et pauciores et minoris momenti discrepantiae sunt. Rebus ad orthographiam pertinentibus scribarumque lapsibus neglectis hae sunt

inter AP et FR I, 3 *patre et domino nostro*: *patre nostro et domino.* I, 10 *aut*: *an.* III, 18 *promissionem*: *repromissionem* (sic etiam A²). VI, 12 *enim* om: hab.

inter AF et RP II, 7 *e contrario*: *e contra.* II, 13 *in illa simulatione*: *in illam simulationem.* II, 16 *credimus*: *credidimus* (etiam F²). III, 7 *cognoscite*: *cognoscitis.* V, 12 *abscindantur*: *abscidantur* (etiam F²).

inter AR et FP II, 20 *semet* (etiam F²): *se.* IV, 7 *es*: *est.*

inter FP et R et A II, 4 *sed*: — *autem*: *sed* — *autem.*

inter AR et F et P II, 6 *uidebantur*: *uidebantur esse aliquid*: *uidebantur esse.* V, 8 *persuasio non est*: *persuasio haec non est*: *persuasio non est* in ras.

inter AP et F¹ et F² R III, 1 *est crucifixus*: *est in uobis crucifixus*: *est et crucifixus.*

inter A² FP et R et A¹ III, 3 *consummamini*: *consummemini*: *consumamini.*

inter A² FR et P et A¹ V, 15 *consummamini*: *consumamini*: *consummini.*

Apparet eum esse codicum consensum, ut unum et certum Vulgatae fuisse textum negari non possit, quamvis in singulis codicibus turbatus sit. Nam codicibus inter se collatis lectiones spuriae facile cognoscuntur, quibus secretis textus congruens multorum codicum testimoniis constituitur.

Cum eodem modo atque in aliis libris factum est, ut codices Vulgatae variarentur, tum singulares quaedam causae fuerunt, propter quas in codicibus Vulgatae falsae lectiones nascebantur. Nam multae earum reperiuntur in versionibus codicum Graecorum — Latinorum Claromontani Parisini et Boerneriani Dresdensis et commentariorum S. Augustini, S. Hieronymi, Ambrosiastri, Victorini, quos cum versionem aut integram aut paene integram praebeant inprimis respexi.

F¹ I, 7 = C Vi I, 11 = Amb^{m} I, 16 = H II, 2 *aliquid esse uidebantur* Amb^{m} (*esse* om. Amb^{c}) II, 9 = C B Aug H Amb Vi III, 1 = Aug Amb^{m} Vi III, 6 = B Amb III, 24 *in christo ihesu* = B H Amb *in christum ihesum* C III, 29 = C Aug *uos omnes unum estis in christo ihesu* Amb *uos omnes unum estis unum in christo ihesu* B IV, 1 = Amb IV, 2 *est*

post *actoribus* habent Aug Amb IV, 3 = C B Aug H Amb Vi IV, 6 *filii dei* = C B H Amb Vi IV, 20 = B Amb[c] IV, 25 = C B H Amb Vi IV, 26 *quae autem sursum est* C B Vi Aug. de doct. christ. IV, c. 20. V, 13 = Aug H *carni detis* B Amb V, 17 = Amb[c] (*sibi inuicem* Amb[m]) V, 20 = C B Aug H Amb V, 24 = B Amb[c] VI, 1 = C B Aug H Amb VI, 3 = C B Aug H Amb Vi VI, 12 *in cruce* = Aug.

F^2 II, 11 = C B Aug H Amb Vi II, 14 = C B H Amb Vi.

R I, 8 = B III, 6 = H c d IV, 6 = Aug Vi IV, 9 = C B Vi V, 1 = Amb Vi V, 16 = H a b d *concupiscentias* Aug V, 25 = C B.

RF^2 V, 2 = H V, 12 = Amb[c] Vi V, 19 *fornicationes* = C B Aug *immunditiae* = B Aug.

A I, 20 = Amb[c] II, 18 = Amb III, 3 = C B H Amb VI, 1 = C B Aug H Amb.

His lectionibus aliae ex recentioribus codicibus adici possunt velut:

𝔄𝔅 I, 2 *ecclesiae* = Amb Vi H a b d I, 16 *eum* = C B Aug Amb I, 24 *glorificabant* = H II, 6 *fuerunt* = C Amb (*fuerant* B) II, 16 *in christum ihesum* = B Amb II, 18 *me ipsum* = Aug III, 19 *promissa erat*: *promissum erat* H c d e *repromissum erat* H a b VI, 6 *uerbo* = Amb.

𝔅 V, 13 add. *spiritus* = C B Amb Vi.

$\varkappa\,\tau$ I, 8 *quod* om. = C Amb[c] I, 17 *in* add. = C B Aug. III 26 *quae est* add. = H Amb.

τ I, 22 *ihesu* add. = H VI, 7 *deridetur* = Amb Vi *diridetur* B.

ϑ I, 19 *neminem uidi* = H a b Vi IV, 26 *omnium nostrum* = H (*omnium nostrorum* Vi).

f g II, 5 *quibus neque* om. = C Amb Vi III, 16 *quod* = Amb (*quo* B).

Fontem unde codices Vulgatae manaverint rivulis aliunde ortis commistum esse apparet. Atque haud raro duas diversae originis lectiones copulatas deprehendimus: velut Gal. V, 20 APR habent *sectae*, F *hereses* $\varkappa\,\tau$ *sectae — hereses*. F^1 Gal. II, 11 *petrus cephas* II, 14 *petro cephae*; Matth. VI, 11 *panem nostrum supersubstantialem cotidianum*, Rom. VIII, 26 *gemitibus inenarrabilibus quae verbis exprimi non possunt* (eadem sed *qui* pro *quae* habet τ); Rom. XII, 6 *donationes dei diuersas secundum gratiam quae data est nobis differentes*. Ex R supra (p. 17) aliquot exempla attulimus.

F per omnes Novi Test. libros tantum proprii et singularis habet, ut non tam Vulgata corrupta quam antiquior quaedam versio

ad Vulgatam accommodata videatur esse. Quomodo codicum auctores textum ad Vulgatam applicare conati sint, codicis Fuldensis et Reginensis exemplis illustratur. F^1 maxime a Vulgata distat. F^2 quippe qui non ex puro quidem fonte, sed plus Vulgatae secum ducente fluxerit, codicem Vulgatae similiorem reddidit. R quem ab eadem origine atque F^2 ortum esse intelleximus etiam propius hoc ad Vulgatam accedere demonstravimus. Etiam codicis A corrector ex puriore fonte quam scriba videtur hausisse. Sed et A et P certe ab ipsa Vulgata originem ducunt, ita tamen ut singulae iis aliunde lectiones insertae sint.

Omnino illa librorum mss. Vulgatae varietas — ut scribarum errores omittamus — ita potissimum orta est, ut et antiquiores libri, quando cum Vulgata conferebantur, multas proprias lectiones conservarent et in libros Vulgatae antiquarum versionum lectiones se insinuarent. Itaque multi loci in dubium vocabantur et de quibusdam lectionibus acerrima quasi quadam contentione certabatur, cum quae ex aliis codicibus sublatae erant lectiones in aliis restitutas esse videamus. Progrediente tempore Vulgatae memoria magis magisque turbabatur, ita ut quae prioribus temporibus rariores sunt lectiones in recentioribus libris frequentes sint. Qua re factum est, ut F cum his magis quam cum antiquioribus libris congruat.

Quomodo ad simplicem et antiquam lectionem rediri possit, indicavisse mihi videor. Ut huius disputationis summam faciam: sunt quinque antiquissimi Vulgatae testes, qui secundum auctoritatem suam sic disponendi sunt: A^2 P A^1 R F^2 F^1. Quorum A^2 et F^2 nisi paucis locis non praesto sunt et F^2 et R ea necessitudine coniuncti sunt, ut paene unius loco habendi sint. Iam textus constituendi haec ratio adhibenda esse mihi videtur, ut cum illi inter se dissentiunt maiorem eorum numerum sequamur, cum bini cum binis discrepant auctoritatem codicum A et P pluris quam ceterorum aestimemus, cum vero hi ipsi in diversas partes discedunt aut omnino ne duo quidem codices antiqui inter se consentiunt codicum recentiorum ratione habita de lectione disceptemus.

Haec est norma, ad quam et lectionem et orthographiam Vulgatae exegi; quamquam haec arbitrio scribarum tam obnoxia est, ut plurium consensus in hac re parum valeat. Neque fieri non potest, quin magna varietas orthographiae hoc modo efficiatur. Sed ut in singulis codicibus orthographia sibi non constat, ita fieri

potuit, ut antiquissimus unde ceteri derivandi sunt codex non unam rationem sequeretur. Neque omnino qualis fuerit ille unde discamus, donec de auctore eius ignoramus, habemus nisi libros mss., quos nobis unicos duces sequendum est. Qui si per omnes partes pari diligentia perquisiti erunt, fieri potest, ut iudicium de iis aliquantum mutetur. Sed si condicionibus, quibus nos subiecti fuimus, nostra respondeant, nobis sat erit.

INCIPIT EPISTULA AD GALATAS.

I. 1 Paulus apostolus non ab hominibus neque per hominem sed per ihesum christum et deum patrem, qui suscitauit eum a mortuis, 2 et qui mecum sunt omnes fratres ecclesiis galatiae. 3 gratia uobis et pax a deo patre et domino nostro ihesu christo, 4 qui dedit semet ipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de praesenti saeculo nequam secundum uoluntatem dei et patris nostri, 5 cui est gloria in saecula saeculorum; amen.

6 Miror quod sic tam cito transferemini ab eo, qui uos uocauit in gratiam christi, in aliud euangelium 7 quod non est aliud, nisi sunt aliqui qui uos conturbant et uolunt conuertere euangelium christi. 8 sed licet nos aut angelus de caelo euangelizet uobis praeterquam quod euangelizauimus uobis, anathema sit. 9 sicut praediximus et nunc iterum dico: si quis uobis euangelizauerit praeter id, quod accepistis, anathema sit. 10 modo enim hominibus suadeo aut deo? aut quaero hominibus placere? si adhuc hominibus placerem christi seruus non essem. 11 notum enim uobis facio, fratres, euangelium quod euangelizatum est a me quia non est secundum hominem. 12 neque enim ego ab homine accepi illud neque didici sed per reuelationem ihesu christi. 13 audistis enim conuersationem meam aliquando in iudaismo, quoniam supra modum persequebar ecclesiam dei et expugnabam illam 14 et proficiebam in iudaismo supra multos coetaneos in genere meo abundantius aemulator existens paternarum mearum traditionum. 15 cum autem placuit ei, qui me segregauit de utero matris meae et uocauit per gratiam suam,

---

Incipit epistula ad galatas A incipit ad galatas P incipit ipsa epistola R incipit corpus epistulae *in fronte cuiusque epistulae ponere solet, hic omisit* F. 3 fratres omnes 𝔄𝔅 d aecclesie 𝔄 ecclesie 𝔅 4 patre nostro et domino FR ϑ patre et domino a e b 5 eripereit A 8 transferimini R d[1] b[2] f[2] κτϑ 𝔄𝔅 transferamini P 9 in gratia F aliut *bis* A 10 nisi si F subuertere κτ 11 angelos R 12 praeter quod R quod *om.* κτ 13 [prae]diximus ϑ 15 *pr.* aut] an FR d 𝔄𝔅 *post.* aut] an τ athuc A 16 enim] autem F 18 ab homine | A ab hominem F illud] aliud R 19 dedici R domini nostri ihesu christi 𝔄𝔅 22 co[a]etaneos A coetaneos meos a b c d e f g 𝔄𝔅 24 uocauit me R

16 ut reuelaret filium suum in me, ut euangelizarem illum in gentibus: continuo non adquieui carni et sanguini 17 neque ueni hierosolyma ad antecessores meos apostolos, sed abii in arabiam et iterum reuersus sum damascum. 18 deinde post annos tres ueni hierosolyma uidere petrum et mansi apud eum diebus quindecim. 19 alium autem apostolorum uidi neminem nisi iacobum fratrem domini. 20 quae autem scribo uobis, ecce coram deo quia non mentior. 21 deinde ueni in partes syriae et ciliciae. 22 eram autem ignotus facie ecclesiis iudeae quae erant in christo; 23 tantum autem auditum habebant, quoniam qui persequebatur nos aliquando nunc euangelizat fidem quam aliquando expugnabat, 24 et in me clarificabant deum.

II. 1 Deinde post annos quattuordecim iterum ascendi hierosolyma cum barnaba adsumpto et tito. 2 ascendi autem secundum reuelationem et contuli cum illis euangelium quod praedico in gentibus, seorsum autem his qui uidebantur, ne forte in uacuum currerem aut cucurrissem. 3 sed neque titus, qui mecum erat, cum esset gentilis, conpulsus est circumcidi, 4 sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram quam habemus in christo ihesu, ut nos in seruitutem redigerent. 5 quibus neque ad horam cessimus subiectioni, ut ueritas euangelii permaneat apud nos. 6 ab his autem qui uidebantur esse aliquid: quales aliquando fuerint, nihil mea interest. deus personam hominis non accipit. mihi enim qui uidebantur nihil contulerunt; 7 sed e

---

1 *post.* ut] et τϑ euangelizem F[1] illum] eum 𝔄𝔅 2 hierosolyma F hyerosolima R hierosolymam P a b c f g ϑ hierosolimam d c iherosolymam ϰ hierusolyma A 𝔄 hierusolimam 𝔅 in *praem.* ϰτ 3 in arabia A 4 damascom A[1] 5 hicrosolyma FR hierosolymam P a b c d f g hierosolimam e 𝔅 hyerosolymam ϰ hierusolyma A hierusolymam 𝔄 aput F XV F 6 neminem uidi ϑ 7 quia] quoniam A 8 cyliciae R 9 facie] A faciei cg τϑ 𝔄 iudaeae F in christo ihesu τ 10 persequebantur F 11 nunc autem a b c e f g 12 clarificabat F glorificabant 𝔄𝔅 13 XIIII F hierosolyma FRP hierosolymam a b c f g ϰϑ hyerosolymam d hierosolimam e hierusolyma A hierusolymam 𝔄 hierusolimam 𝔅 14 cum barnaban R 𝔄 et tito] et *om.* F 15 euangelium dei F 16 uidebantur aliquid esse F c d f g τ uidebantur praestantiores ϑ cucurrerem A[1] P 17 curcurissem R 18 sed propter subintroductos FP[1] d ϰτ 𝔄𝔅 propter subintroductos (*ex*—us) autem R sed propter (sub) introductos autem A a b c e f g ϑ introductos a[1] b c e f g 19 subintroi[e]runt A 21 quibus neque *om.* f g neque *om.* 𝔄 22 aput F uos] nos τ[2] 23 qualis R fuerunt 𝔄𝔅 24 accepit F enim] autem 𝔄𝔅 uidebantur AR ϰτϑ (al. aliquid esse ϑ *in margine*) uidebantur esse P 𝔄𝔅 uidebantur esse aliquid F a b c d e f g e contrario AF contra a ϰ 𝔄𝔅.

contra cum uidissent, quod creditum est mihi euangelium praeputii sicut petro circumcisionis: 8 qui enim operatus est petro in apostolatum circumcisionis operatus est et mihi inter gentes: 9 et cum cognouissent gratiam quae data est mihi iacobus et cephas et iohannes, qui uidebantur columnae esse, dextras dederunt mihi et barnabae societatis, ut nos in gentes ipsi autem in circumcisionem, 10 tantum ut pauperum memores essemus, quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere. 11 cum autem uenisset cephas anthiociam, in faciem ei restiti, quia repraehensibilis erat. 12 prius enim quam uenirent quidam ab iacobo, cum gentibus edebat; cum autem uenissent, subtrahebat et segregabat se timens eos, qui ex circumcisione erant, 13 et simulationi eius consenserunt ceteri iudaei, ita ut et barnabas duceretur ab eis in illa simulatione. 14 sed cum uidissem, quod non recte ambularent ad ueritatem euangelii, dixi cephae coram omnibus: si tu cum iudaeus sis, gentiliter et non iudaicae uiuis, quomodo gentes cogis iudaizare? 15 nos natura iudaei et non ex gentibus peccatores, 16 scientes autem, quod non iustificatur homo ex operibus legis nisi per fidem ihesu christi, et nos in christo ihesu credimus, ut iustificemur ex fide christi et non ex operibus legis, propter quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. 17 quodsi quaerentes iustificari in christo inuenti sumus et ipsi peccatores, numquid christus peccati minister est? absit. 18 si enim quae destruxi haec iterum aedifico, praeuaricatorem me constituo. 19 ego enim per legem legi mortuus sum ut deo uiuam; christo confixus sum cruci. 20 uiuo autem iam non ego, uiuit uero in me christus; quod autem nunc uiuo in carne, in fide uiuo filii dei, qui dilexit me et tradidit semet ipsum pro me. 21 non abicio gratiam dei; si enim per legem iustitia, ergo christus gratis mortuus est.

---

3 *pr.* et *om.* R   4 iacobus cephas A petrus et iacobus F iohannis F   5 esse *om.* A^1 6 in circumcisione R   8 petrus cephas F^1 petrus F^2 𝔄𝔅 anthiociam FP ϑ anthyociam R antiochiam A *ceteri* 9 ei *om.* 𝔄   10 ab] a τ 𝔄𝔅 edebant F sedebat P^1 12 *post.* et *om.* a 𝔄𝔅   13 in illa simulatione AF κϑ in illam simulationem RP a b c d e f g τ in hac simulatione 𝔄 in hanc simulationem 𝔅   sed et cum b   14 petro cephae F^1 petro F^2 κτ   15 iudaeus cum sis f   gentiliter uiuis et non iudaice a b c d f g   et *om.* R   iudaicae AFP iudaice R   17 ex *om.* 𝔄 autem *om.* F^1 iustificabitur F^2 R   19 in christum ihesum 𝔄𝔅 credimus AF^1 a b c d e f g τϑ credidimus F^2 RP κ 𝔄𝔅   20 propter quod ex operibus] ex operibus enim F^1 23 aedifico FRP κτϑ 𝔄𝔅 reaedifico A a b c d e f g   24 me ipsum 𝔄𝔅   instituo F   26 uiuet A   27 fili FR   semet AF^2 R κτϑ 𝔄𝔅 se F^1 P a b c d e f g   28 abiciam ϑ   29 est *om.* P^1.

III. 1 O insensati galatae, quis uos fascinauit, ante quorum oculos ihesus christus proscriptus est crucifixus? 2 hoc solum uolo a uobis discere: ex operibus legis spiritum accepistis an ex auditu fidei? 3 sic stulti estis, ut cum spiritu coeperitis, nunc carne consummamini? 4 tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa. 5 qui ergo tribuit uobis spiritum et operatur uirtutes in uobis ex operibus legis an ex auditu fidei? 6 sicut abraham credidit deo et reputatum est ei ad iustitiam. 7 cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt hii sunt filii abrahae. 8 prouidens autem scriptura, quia ex fide iustificat gentes deus, praenuntiauit abrahae, quia benedicentur in te omnes gentes. 9 igitur qui ex fide sunt benedicentur cum fideli abraham. 10 quicumque enim ex operibus legis sunt sub maledicto sunt. scriptum est enim: maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. 11 quoniam autem in lege nemo iustificatur apud deum, manifestum est, quia iustus ex fide uiuit. 12 lex autem non est ex fide, sed qui fecerit ea uiuet in illis. 13 christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum, quia scriptum est: maledictus omnis qui pendet in ligno, 14 ut in gentibus benedictio abrahae fieret in christo ihesu, ut pollicitationem spiritus accipiamus per fidem. 15 fratres, secundum hominem dico; tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit aut superordinat. 16 abrahae dictae sunt promissiones et semini eius. non dicit: et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno et semini tuo, qui est christus. 17 hoc autem dico: testamentum confirmatum a deo quae post quadringentos et triginta annos facta est lex non irritam facit ad euacuandam promissionem. 18 nam si ex lege hereditas, iam non ex repromissione; abrahae autem per repro-

---

1 galates 𝔄𝔅 fascinauit FRP 𝔄𝔅. fascinauit ueritati non oboedire A fascinauit non credere ueritati a b c d e f g κτϑ 2 christus ihesus F κϑ proscriptus FRP praescriptus A a b c d e f g κτϑ 𝔄𝔅 est crucifixus AP[1] κτϑ est et crucifixus F[2] R est in uobis crucifixus F[1] a b c d e f g 𝔄𝔅 uolo a uobis A[2]RP e f g κτϑ 𝔄𝔅 a uobis uolo F a b c d a uolo a uobis A[1] 3 accipistis A[1] 4 ut *om.* A[1] κτ consummamini A[2]FP a b c f g κτϑ consummemini R consumamini A[1] d e 𝔄𝔅 7 sicut scriptum est credidit abraham F ϑ 8 ei] illi R f g cognoscitis RP κ b 9 hii AF hi RP fili R scribtura RP 10 pronuntiauit ϑ 13 scribtum RP non *om.* A 14 scribta RP faciant F 15 ea *om.* 𝔅 in legem R aput F 16 *post.* est *om.* τ 17 eam—in illis 𝔄 eam—in illa 𝔅 uiuet AR (R *ex*-it) uiuit FP redimit A 18 legis *om* A[1] scribtum RP 19 pependit F[1] pendit F[2] κ 22 confirmatum est d 23 non] nam 𝔅[1] 24 qui] quod f[1]g 26 quadringentos et triginta P quadrigentos et triginta A CCCC et XXX FR. 27 irritum c d[2] f g τ 𝔅 ad euacuandum R promissionem patrum F 28 ex repromissionem A[1] ex promissione τϑ 𝔄𝔅 per promissionem A[1] P[1] κτ.

missionem donauit deus. 19 quid igitur lex? propter transgressiones posita est, donec ueniret semen cui promiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris. 20 mediator autem unius non est, deus autem unus est. 21 lex ergo aduersus promissa dei? absit, si enim data esset lex quae posset uiuificare, uere ex lege esset iustitia. 22 sed conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide ihesu christi daretur credentibus. 23 prius autem quam ueniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quae reuelanda erat. 24 itaque lex pedagogus noster fuit in christo, ut ex fide iustificemur. 25 at ubi venit fides, iam non sumus sub pedagogo. 26 omnes enim filii dei estis per fidem in christo ihesu. 27 quicumque enim in christo baptizati estis, christum induistis. 28 non est iudaeus neque graecus, non est seruus neque liber non est masculus neque femina; omnes enim uos unum estis in christo ihesu. 29 si autem uos christi, ergo abrahae semen estis secundum promissionem heredes.

IV. 1 Dico autem: quanto tempore heres paruulus est, nihil differt a seruo, cum sit dominus omnium, 2 sed sub tutoribus est et actoribus usque ad praefinitum tempus a patre. 3 ita et nos cum essemus paruuli sub elementis mundi eramus seruientes; 4 at ubi uenit plenitudo temporis, misit deus filium suum factum ex muliere factum sub lege, 5 ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. 6 quoniam autem estis filii, misit deus spiritum filii sui in corda nostra clamantem abba pater. 7 itaque iam non es seruus sed filius; quodsi filius, et heres per deum; 8 sed tunc quidem ignorantes deum his qui natura non sunt dii seruiebatis. 9 nunc autem cum cognoueritis deum, immo cogniti sitis a deo, quomodo conuertimini iterum ad infirma et

---

1 transgressionem 𝔄𝔅 2 repromiserat F g[1] promissa erat 𝔄𝔅 3 unius] unus A[1] P 𝔄 5 possit FP f[1] 6 scribtura RP repromissio F 9 pedagogus AFR paedagogus P erat in christo ihesu F 10 at AP ad FR 11 pedagogo AFR paedagogo P filii dei sumus τ[2] filii sumus dei 𝔄𝔅 per fidem quae est κτ (al. quae est ϑ *in marg.*) 13 graecus] gentilis ϑ (*in marg.* graecus) grecus A 14 omnis P unum *om.* F[1] in unum R 15 si autem uos unum estis in christo ihesu F 17 est *om.* F 18 a *om.* A[1] κτ[1] dominus *bis* R sub tutoribus (totoribus F) et actoribus est F a b c d e f g sub tutoribus et auctoribus 𝔄𝔅 auctoribus pro actoribus *etiam* P[1] 20 aelementis F[1] elimentis R huius mundi F 𝔄𝔅 at AP ad FR 21 factum] natum F a τ 22 redemeret R 23 autem *om.* F filii (fili F) dei F κτϑ 𝔄𝔅 24 nostra] uestra R τ clamantes τ[2] 25 iam *om* a es AR b c d f g est FP a e κτϑ 𝔄𝔅 26 sed—deum *om.* P[1] 27 di R cum *om.* τ[1] cognouistis κτ cognouitis 𝔅 cognouerimus 𝔄 immo et P 28 sitis] estis R κτϑ.

egena elementa, quibus denuo seruire uultis? 10 dies obseruatis et menses et tempora et annos. 11 timeo uos, ne forte sine causa laborauerim in uobis. 12 estote sicut et ego, quia et ego sicut uos. fratres, obsecro uos. nihil me laesistis. 13 scitis autem, quia per infirmitatem carnis euangelizaui uobis iam pridem, 14 et temptationem uestram in carne mea non spreuistis neque respuistis, sed sicut angelum dei excepistis me sicut christum ihesum. 15 ubi est ergo beatitudo uestra? testimonium enim perhibeo uobis, quia si fieri posset oculos uestros eruissetis et dedissetis mihi. 16 ergo inimicus uobis factus sum uerum dicens uobis? 17 aemulantur uos non bene, sed excludere uos uolunt, ut illos aemulemini. 18 bonum autem aemulamini in bono semper et non tantum cum praesens sum apud uos. 19 filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur christus in uobis. 20 uellem autem esse apud uos modo et mutare uocem meam, quoniam confundor in uobis. 21 dicite mihi, qui sub lege uultis esse: legem non legistis? 22 scriptum est enim, quoniam abraham duos filios habuit unum de ancilla et unum de libera. 23 sed qui de ancilla secundum carnem natus est, qui autem de libera per repromissionem. 24 quae sunt per allegoriam dicta. haec enim sunt duo testamenta: unum quidem a monte sina in seruitutem generans, quae est agar. 25 sina enim mons est in arabia, qui coniunctus est ei quae nunc est hierusalem et seruit cum filiis eius; 26 illa autem, quae sursum est hierusalem, libera est, quae est mater nostra. 27 scriptum est enim: laetare sterelis quae non paris, erumpe et clama quae non parturis; quia multi filii desertae magis quam eius quae habet uirum. 28 nos autem, fratres, secundum isaac promissionis filii sumus. 29 sed quomodo tunc qui secundum carnem natus fuerat persequebatur eum qui secundum spiritum, ita et nunc. 30 sed quid dicit scriptura? eice ancillam et filium eius; non enim heres erit filius

---

1 aegena aelementa F^1 elementa egena A^1 2 uos *om.* 𝔅 3 sicut ego a b c d e f g κτ 4 obsecro autem uos fatres F lesistis R 6 spraeuistis A^1F 7 dei *om.* 𝔄$𝔅^1$ et sicut 𝔄𝔅 ihesum christum 𝔅 9 posset AP a b c e f g κτ 𝔄𝔅 possit F potest R potuisset d ϑ eruesetis R et *bis* R 11 non bene *om.* 𝔄𝔅 13 aput F 14 uelle R apud uos esse ϑ aput F 15 mutarem F 𝔄 16 scribtum FR 20 per allegoria F a] in d 𝔅 21 seruitutem autem R syna R enim] autem c (enim *in marg. man. ant.*) 22 iunctus A^1 hyerusalem R 23 eius] suis F b κτϑ 𝔄 illa autem quae sursum est] quae sursum est autem F est *om.* 𝔅 hyerusalem R 24 mater omnium nostrum ϑ (*in marg.* al. mater nostra) scribtum R scriptum est enim] sicut scriptum est F^1 25 sterilis R exclama F P κτϑ 26 deserte A^1 30 scribtura RP ancilla F

ancillae cum filio liberae. 31 itaque, fratres, non sumus ancillae filii sed liberae.

V. 1 Qua libertate nos christus liberauit state et nolite iterum iugo seruitutis contineri. 2 ecce ego paulus dico uobis, quoniam si circumcidamini, christus uobis nihil proderit. 3 testificor autem rursum omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universae legis faciendae. 4 euacuati estis a christo, qui in lege iustificamini, a gratia excidistis. 5 nos enim spiritu ex fide spem iustitiae expectamus. 6 nam in christo ihesu neque circumcisio aliquid ualet neque praeputium, sed fides quae per caritatem operatur. 7 currebatis bene. quis uos inpediuit ueritati non oboedire? 8 persuasio non est ex eo qui uocat uos. 9 modicum fermentum totam massam corrumpit. 10 ego confido in uobis in domino, quod nihil aliud sapietis; qui autem conturbat uos portabit iudicium, quicumque est ille. 11 ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc praedico, quid adhuc persecutionem patior? ergo euacuatum est scandalum crucis. 12 utinam et abscidantur qui uos conturbant. 13 uos enim in libertatem uocati estis, fratres; tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per caritatem seruite inuicem. 14 omnis enim lex in uno sermone impletur: diliges proximum tuum sicut te ipsum. 15 quodsi inuicem mordetis et comeditis, uidete ne ab inuicem consummamini. 16 dico autem: spiritu ambulate et desiderium carnis non perficietis. 17 caro enim concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem; haec enim inuicem aduersantur, ut non quaecumque uultis illa faciatis. 18 quodsi spiritu ducimini, non estis sub lege. 19 ‚manifesta autem sunt opera carnis, quae sunt fornicatio inmunditia luxuria. 20 idolo-

---

1 libere R 2 *item* R 3 christus nos liberauit R b e ϑ 𝔄 liberauit nos christus a c d f g 5 prodest F^2 R 8 enim] autem ϑ 𝔄𝔅 spiritum ex fidem F 9 nam et P^1 10 que F 11 uos] uobis F e inpediuit AFP impediuit R fascinauit a b c d f g *ras.* e persuasio haec F d $ϑ^1$ persuasio ista 𝔅 persuasio non est *in ras.* P^1 12 eo] deo τ 𝔄𝔅 tota F 13 ego] ergo a b c d ego autem e *pr.* in *om.* A^1 in domino et in uobis 𝔄 in domino de uobis 𝔅 14 sapietis] al. facietis *in marg.* ϑ portauit AF (P ?) 𝔄 15 si *om.* τ athuc A 17 et *om.* F^2 R abscidantur F^2 RP *et recentiores* abscindantur AF^1 18 in libertate R 19 carnis detis F ϑ per caritatem spiritus 𝔅 in inuicem F 20 inpletur F diligis AF (P?) ϰ 𝔄 21 sicut] tamquam ϑ in inuicem F morditis F^1 22 consummamini A^2 FR consummini A^1 consumamini P 23 desiderium AFP c ϰτ desideria R a b d e f g ϑ 𝔄𝔅 aduersum R 24 *item* R spiritus autem] et spiritus R inuicem sibi F ϰτ sibi inuicem 𝔅 26 ducemini A sunt autem ϰτ 27 fornicationes e fornicationes inmunditiae luxuriae F^2R immunditia impudicitia luxuria e f g 𝔄𝔅.

rum seruitus ueneficia inimicitiae contentiones aemulationes irae rixae dissensiones sectae. 21 inuidiae homicidia ebrietates comesationes et his similia; quae praedico uobis sicut praedixi, quoniam qui talia agunt regnum dei non consequentur. 22 fructus autem spiritus est caritas gaudium pax longanimitas bonitas benignitas fides 23 modestia continentia; aduersus huiusmodi non est lex. 24 qui autem sunt christi carnem suam crucifixerunt cum uitiis et concupiscentiis. 25 si uiuimus spiritu, spiritu et ambulemus. 26 non efficiamur inanis gloriae cupidi inuicem prouocantes inuicem inuidentes.

VI. 1 Fratres etsi praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui spiritales estis huiusmodi instruite in spiritu lenitatis considerans te ipsum, ne et tu tempteris. 2 alter alterius onera portate et sic adimplebitis legem christi. 3 nam si quis existimat se aliquid esse, cum sit nihil, ipse se seducit. 4 opus autem suum probet unusquisque et sic in semet ipso tantum gloriam habebit et non in altero; 5 unusquisque enim onus suum portabit. 6 communicet autem is qui cathecizatur uerbum ei qui se cathecizat in omnibus bonis. 7 nolite errare; deus non inridetur. 8 quae enim seminauerit homo, haec et metet; quoniam qui seminat in carne sua de carne et metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu de spiritu metet uitam aeternam. 9 bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus non deficientes. 10 ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. — 11 uidete, qualibus litteris scribsi uobis mea manu. 12 quicumque uolunt placere in carne, hi cogunt uos circumcidi, tantum ut crucis christi persecutionem non patiantur;

---

1 seruitutis P^1 ueneficia] beneficia F 2 sectae] hereses F sectae inuidiae hereses ϰ sectae inuidia haereses τ ebrietas R comesationes RP comesationis A commissationes F 3 sicut et ϰτ 5 longanimitas bonitas benignitas fides modestia continentia AF^1P^1 ϑ patientia longanimitas *q. s.* F^2 R patientia bonitas longanimitas benignitas *q. s.* 𝔄𝔅 longanimitas bonitas benignitas fides patientia mansuetudo modestia continentia ϰ *post* continentia *add.* castitas *cetera* = ϰ τ longanimitas patientia bonitas benignitas mansuetudo fides modestia continentia castitas a c d f g; b e *transpos.* patientia longanimitas, b *om.* mansuetudo *cetera* = a c d f g 7 christi sunt F suam *om.* A^1 et *om.* P^1 8 si spiritu uiuimus R a b c d e f g *alterum* spiritu *om.* 𝔄 9 inanes R 12 spiritale F^1 instruite huiusmodi A lenitatis] mansuetudinis F ϑ (al. lenitatis *in marg.* ϑ) 15 nihil sit F d e ϰ 16 habeat P^1 17 in *om.* A 18 is] his P cathecizatur A^2FR catecizatur A^1 cathechizatur P^1 se cathecizatur a uerbo 𝔄𝔅 ei] et R cathechizat P 19 deridetur τ irridebit 𝔅 22 et metet 𝔄𝔅 23 suo enim A^1 (P?) 25 scribsi FRP scripsi A 26 manu mea ϑ quicumque enim FR a b c d e f g placere uolunt F hi AP hii FR 27 crucis] in cruce F.

13 neque enim qui circumciduntur legem custodiunt, sed uolunt uos circumcidi, ut in carne uestra glorientur. 14 mihi autem absit gloriari nisi in cruce domini nostri ihesu christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo; 15 in christo enim ihesu neque circumcisio aliquid ualet neque praeputium sed noua creatura. 16 et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia et super israhel dei. 17 de cetero nemo mihi molestus sit; ego enim stigmata ihesu in corpore meo porto. 18 gratia domini nostri ihesu christi cum spiritu uestro, fratres, amen.

EXPLICIT EPISTULA AD GALATAS.

1 hi legem R 2 in uestra carne R 3 mihi *om.* R 7 *prius* et *om.* F, *alterum* ϑ dei *om.* τ 8 domini ihesu ϑ *ras. ante* ihesu d sit fratres 𝔅 explicit epistula ad galatas AFR explicit ad galatas P.

Epistula ad Galatas qualis ab auctore Vulgatae videtur lecta esse proposita num qui putatur Vulgatae auctor esse Hieronymus re vera sit quaeramus. S. Hieronymus cum ex oriente Romam reversus a Damaso papa scripturas sacras ad codicum Graecorum auctoritatem exigere iussus esset, circa annum 383 ab evangeliis emendandis incepit eaque prima separatim a reliquis Novi Test. libris edidit. Hoc enim apparet ex ipsius verbis quae sunt in ea quae est pro praefatione in evangelia epistula ad Damasum: 'igitur haec praesens praefatiuncula pollicetur quattuor tantum evangelia'. Cum vero Damasus non solum evangelia, sed omnes sacras scripturas Hieronymum corrigere voluisset (ibid. 'novum opus facere me cogis ex veteri, ut post exemplaria scripturarum toto orbe dispersa quasi quidam arbiter sedeam'), reliquos Novi Test. libros illa subsecuturos esse a lectoribus conici necesse fuit. Atque re vera eum statim certe ad epistulas Paulinas emendandas se accinxisse testatur epistula eius XXVII. ad Marcellam anno 384 scripta [1]), in qua postquam sibi detrahi, quia in evangeliis aliqua emendare tentasset, questus est, exempla aliquot emendationum suarum in epistulas Paulinas affert. Porro duobus locis totum Novum Test. se emendasse diserte dicit in ep. LXXI. ad Lucinium (t. I. 434): 'Novum Testamentum Graecae reddidi auctoritati' et de viris illustribus cap. 135 (t. II. 955): 'Novum Testamentum Graecae fidei reddidi'.

Mirum quidem est, quod nisi in evangelia in libros Novi Test. nullus Hieronymi prologus exstat, cum Veteris Test. librum sua quemque ut edidit praefatione instruxerit [2]). Porro S. Augustinus de emendatione reliquorum Novi Test. librorum plane ignorasse videtur. Scribit enim ad Hieronymum: 'proinde non parvas deo gratias agimus de opere tuo quo e v a n g e l i u m ex Graeco interpretatus es' [3]). Certe non singularem partem commemoravisset, si omne N. T. ab Hieronymo tractatum esse scivisset. Neque iis

---

[1]) V. opp. S. Hieronymi t. I. col. 134 ed. Vallarsi Venetiis 1766.
[2]) Praef. in psalterium t. X. 106: 'consueta praefatione commoneo'.
[3]) Cf. ep. CIV. t. I. 637.

quae ab Hieronymo respondentur verbis Augustini contradicitur: 'si me ut dicis in Novi Testamenti emendatione suscipis ..... eamdem integritatem debueras etiam in Veteri credere Testamento' [1]). Hoc enim dicere potuit, sive omne N. T. sive partem eius emendaverat, cum nihil aliud significare vellet nisi easdem rationes quae in emendando N. T. approbatae sint in Vetere non posse reici. Itaque Kaulen ex his locis — nam de quibus aliis cogitare potuerit nescio — conicere non debuit iam post triginta annos Novi Test. editionem ab Hieronymo curatam vulgo receptam fuisse [2]).

Verisimile mihi videtur esse Hieronymum cum evangeliis prius editis ceteros Novi Test. libros postea coniunctos vulgavisse. Certe Veteris Test. libros uno volumine colligere in animo habuisse videtur, cum in prologo in reges scriberet: 'hic prologus scripturarum quasi galeatum principium omnibus libris quos de Hebraeo vertemus (sic pro *vertimus* legendum est) in Latinum convenire potest'. Sive ipse sive alius quis V. et N. T. e recensione Hieronymi coniuncta edidit, editio quaedam omnium librorum sacrorum sub nomine Hieronymi exstabat. Hoc ex Cassiodorii institutione divina conicere licet, in qua Cassiodorius se tres codices scripturarum sacrarum scribendos curavisse dicit, quorum in uno libros secundum Hieronymum, in altero secundum Hilarium et Epiphanium, in tertio secundum Augustinum se ordinavisse [3]). Horum indicum primus in Vetere Test. cum prologo galeato congruit. Sed in hoc Novi Test. libri non numerantur neque omnino in scriptis Hieronymi catalogus omnes libros sacros hoc ordine complectens invenitur. Itaque qua re Cassiodorius inductus sit, ut totum catalogum Hieronymo tribueret, nescio, nisi liber utrumque testamentum ex interpretatione et recensione Hieronymi continens in manu ei fuerit. Libris Veteris Test. secundum prologum galeatum dispositis libros Novi Test. ex suo arbitrio ordinatos eum adiunxisse propterea verisimile non est, quod cum Isidoro Hispalensi in libro VI. c. 1 etymologiarum plane congruit. Hic enim cum Hebraica nomina librorum Veteris Test., quae in indice Cassiodorii desunt, omiserit, ex hoc certe non pendet, sed et ipse ex editione Hieronymi indicem suum deprompsisse videtur.

Tenebant autem Novi Test. libri apud Hieronymum secundum Cassiodorium hunc ordinem [4]):

---

[1]) ep. CXII. t. I. 753.

[2]) Kaulen Geschichte der Vulgata p. 161.

[3]) Cf. quae hac de re scripsi in annalibus theologicis t. IX. p. 619 sqq.

[4]) In editionibus non recte exhibetur; v. l. c.

IV evangelia Pauli apostoli epistulae XIIII Petri apost. II Johannis apost. III Jacobi ap. I Judae ap. I actus apostolorum apocalypsis.

Hic ordo cum omnibus quot ego quidem inspexi codicibus Vulgatae discrepat. In omnibus enim earum quae canonicae vocantur epistularum prima Jacobi est. In antiquioribus codicibus Latinis Petri duae epistulae ceteris antecedebant; id quod et multi librorum sacrorum indices docent et falsarius ille qui, cum Hieronymi prologus in epistulas canonicas non exstaret, falsum quendam quo testimonium patris verbique ac sanguinis (I. Joh. V, 8) confirmaret, Hieronymo subdidit, his verbis testatur: 'non ita ordo est apud Graecos . . . epistularum septem quae canonicae nuncupantur ut in Latinis codicibus invenitur, quod petrus primus est in numero apostolorum, [ut] primae sint etiam eius epistulae in ordine ceterarum'. Atque cum Cassiodorii testimonio comprobetur in editione Hieronymi antiquum ordinem epistularum canonicarum conservatum fuisse, sequitur, ut Hieronymus auctor Vulgatae non sit.

Enarrat Hieronymus libros sacros ordine Graecorum indice Graeco nescio quo usus in epistula illa ad Paulinum, quae et in editionibus typis expressis et in libris mss. sacris scripturis praemitti solet. Sed haec et a prologo galeato multum differt neque tamquam prologus editionis sacrorum librorum scriptus est.

Si quis quae adhuc disputavi minoris faciat, aliud argumentum exstat, quo etiam multo probabilius fit post Hieronymum N. T. denuo recensitum esse. Hieronymus in commentariis quos in Novi Test. libros scripsit textum sacrum continuum exhibet. Quem qui cum Vulgata contulerit mirabitur, quantum in epistulis Paulinis cum ea discrepet. Cum vero certe esset, cur in commentariis eum textum, qui optimus eorum qui exstabant videretur, exhiberet, cuius rei saepius de lectione disputando conscium se praebuit, non alium quam eum quem ipse recensuerat eum secuturum fuisse exspectabimus. Qui si cum Vulgata parum congruat Hieronymum hanc constituisse negandum erit.

Ut et de hac re melius iudicetur et Vulgatae natura et condicio propius cognoscatur, Vulgatam cum variis lectionibus Hieronymi aliarumque versionum componam. Ex quibus elegi eam quae est in codice Claromontano, deinde eam quae commentariis qui Ambrosii sub nomine circumferuntur continetur, tum eam quae inest in commentariis Victorini.

Qua in re usus sum editione codicis Claromontani a C. Tischendorf Lipsiae 1852 curata. Neque huius neque ceterorum menda

et peculiarem orthographiam curavi, ut earum quae re vera essent variae lectiones ratio facilius cognosci posset. Quae in coniectura posita sunt uncis inclusi. [ ]

Ambrosiastri versionem ex editione Maurinorum cum antiquissimo codice Casinensi CL neglegentius quam vellem temporis angustiis coactus contuli. Haud raro codex Casinensis ab editione Maurinorum dissentit; illius lectiones litteris A^c, huius A^m significavi. Inspexi etiam codices bibliothecae capitularis Veronensis numero LXXV et Nationalis Parisinae numero 1761 signatos utrumque IX. fere saeculi Ambrosiastri commentarios continentes. Quorum et hic cum codice Casinensi optime congruit et ille paene apographum eius esse mihi videtur. Venerabiles monachi abbatiae montis Casini lectiones codicis sui cum editione Migniana discrepantes publici iuris fecerunt in bibliotheca Casinensi t. III. p. 323 sqq. Qua in re quae corrigenda aut accuratius adnotanda sint, afferam: I, 2 *et* — *fratres* cod. Cas. in ras. habet, item I, 10 *satisfacio* I, 18 *illum* correxit ex *eum* I, 19 *apostolorum* pro *ex apostolis*, II, 10 pr. m. *inopum*, postea stulte mutatum est in *in opus*, II, 13 *ut* ^{et}*barnabas*, *et* m. post. suprascripsit, II, 14 *recta* ex *recte*, III, 1 *et* ante *in uobis* om. III, 12 *in illis in eis*, III, 18 *per promissionem* pro *per repromissionem*, item IV, 23, V, 1 *cohiberi* pro *contineri*. I, 17 quae habent Maurini *et iterum regressus sum Damascum* cod. Cas. omisit; in margine inferiore scriba supplevit *iterum reuersus sum Damascum*. — II, 3 uerba *cum esset graecus*, quae et cod. Cas. et ceteri codices in contextu omiserunt, ex commentario supplenda sunt.

Victorini commentarii in epistulas ad Galatas, ad Philippenses, ad Ephesios tribus codicibus Vaticanis recentissimis, ex quibus cum aliis eiusdem scriptis editi sunt ab Angelo Mai in Scriptorum Veterum Nova Collectione t. III. Romae 1828, unde ego lectiones Victorini transcripsi, male conservati sunt. Verba S. Pauli ipso commentario ita implicata sunt, ut interdum difficilius extricentur. Nam scribae, qui signis quibusdam ut videtur ea distinguere volebant, plus semel erraverunt. Neque versio, quam Vitorinus adhibuit, in commentariis eius integra proponitur. Nam alia Victorinus brevius tractavit, alia transiluit, nisi haec culpa scribarum excidisse cum Angelo Mai iudicare mavis. Omnino enim deest finis capitis V. inde a verbis *haec enim* v. 17. Inde a c. III. v. 7 usque ad verbum *promissa* v. 21 integros non affert nisi vv. 8 et 10. Sed ex iis quae disserit quasdam lectiones cum aliis antiquis versionibus eum communes habuisse concludi potest.

Praeterea omisit vel certe ipsa verba non attulit II, 20 inde a verbis *qui dilexit*; III, 29 priora quae sic habet Vulgata *si autem uos christi*; IV, 25 inde a verbis *et seruit*; denique VI, 1. Sed IV, 25 *suis* VI, 1 *unusquisque . . . . ne et ipse temptetur* Victorinum legisse paene pro certo affirmari potest. Nonnulla a scribis depravata sunt, sed ex ipso Victorino corrigi possunt: II, 8 *enim, et*, II, 9 *mihi, et iacobus*, IV, 14 *dei*, VI, 10 *bonum ad omnes*, quamquam ubi quisque versus primum affertur omissa sunt, Victorinum legisse ex ipsius enarratione intellegitur. Porro c. IV. v. 29 qui in codicibus sic se habet *sed sicuti tunc qui secundum spiritum erat sic et nunc* e Victorini explanatione sic supplendus est *sed sicuti tunc qui secundum carnem natus est persequebatur eum qui secundum spiritum erat sic et nunc*. I, 24 scribae falso *dominum* pro *deum*, V, 8 *nos* pro *uos* posuerunt. IV, 6 *clamantes* pro *clamant* VI, 16 *sectantur* pro *sectatur* legendum est. I, 14 libri sic habent: 1 *dum lator* 2 *eum lator* (sed *eum* post deletum est) 3 *lator*; Mai *zelator*; *aemulator* cum Vulgata ceterisque legendum est. IV, 8 Mai scripsit *ante* pro *nunc*, quod scribae falso pro *tunc* posuerunt.

Epistulam ad Galatas in commentario Hieronymi in compluribus codicibus s. IX. et X. contuli et aliquanto accuratius quam adhuc ab editoribus factum est me exhibiturum esse spero. Codices ut breviter commemorem sunt: Ambrosianus C 118 inf. (a) Vaticanus 340 (b) Parisinus 9531 (c) Sessorianus 390 (d) nunc bibliothecae Romanae, quae a primo rege Italiae nomen accepit, Parisinus 1854 (e). Neque tamen quae quisque a ceteris diversa habet attuli nisi ubi vera lectio dubia videri possit aut ob aliquam causam lectiones quae commemorarentur dignae videbantur. Qua in re quas ego minus probabiles putabam uncis inclusi ( ).

Mirum est quod Hieronymus verba sacra non semper eadem refert quae ante posuerat. Velut I, 13 habet *et expugnabam illam*. Contra in commentario aliquoties verbum *vastandi* adhibet, quod habet Augustinus in commentario in Galatas (cf. Hieronymi opp. t. VII. col. 388 B 'Paulus *vastator* quondam ecclesiae'; 389 A *devastabam illam*; ibid. 'quasi quidam grassator ecclesiam et praedo *vastabat*').

IV, 2 *sub tutoribus est et actoribus* (col. 446 B). Antea (col. 443 E) 'tutor a nobis *curatorque* discedunt'. *curatore* hab. Clar. *curatoribus* Amb. Vict.

Postquam V, 1 sic exhibuit *qua libertate nos christus liberavit state et nolite iterum iugo seruitutis contineri* haec verba facit: 'et ex hoc ostenditur, quia non stet qui *iugo inhaereat* et quia

is qui a Christo *libertate donatus* est' q. sqq. (col. 476 D). Col. 496 D V, 1 sic reddit *state et nolite rursum iugo seruitutis haerere. donauit* pro *liberauit* habet etiam in comment. in Isaiam t. IV., col. 627 A et 656 A.

V, 21 *regnum dei non possidebunt* (col. 504 D). Posthac pro *possidebunt* cum Vulgata *consequentur* habet (col. 509 C).

V, 25 *si spiritu uiuimus spiritui obtemperemus* (sic codices) col. 515 A item D. Deinceps verba sic circumscribit, ut cum Vulgata consentiant: 'sed cum spiritu vixerit, *spiritu ambulat*'.

VI, 1 *fratres etsi praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui spiritales estis instruite huiusmodi in spiritu mansuetudinis.* (col. 518 A) contra col. 518 C: 'quasi deo praecipitur, ut hominem praeoccupatum in delicto instruat, sive ut melius habetur in Graeco *perficiat* in spiritu lenitatis'. 519 B 'qui in aliquo peccato praeventi fuerint'. Idem locus in commentario in Ezechiel (t. V. col. 160 E) affertur cum vocibus *praeuentus peccato perficite.*

Videtur Hieronymus variae lectorum consuetudinis rationem habuisse. Interdum etiam parum diligens fuit. Col. 505 E luxuriam in numero vitiorum habet, col. 509/510 in Latinis codicibus adulterium et impudicitiam et homicidia in catalogo vitiorum referri, sed plus quindecim carnis opera non nominata esse dicit. Contra omnes ll. mss. ubi V, 19 affertur *impudicitia* exhibent *luxuria* omittunt. C. II. vv. 17 et 18 omissi sunt.

I. 1 Paulus apostolus non ab hominibus neque per hominem sed per ihesum christum et deum patrem, qui suscitauit eum a mortuis, 2 et qui mecum sunt omnes fratres ecclesiis galatiae. 3 gratia uobis et pax a deo patre et domino nostro ihesu christo, 4 qui dedit semet ipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de praesenti saeculo nequam secundum uoluntatem dei et patris nostri, 5 cui est gloria in saecula saeculorum; amen.

6 Miror quod sic tam cito transferemini ab eo, qui uos uocauit in gratiam christi, in aliud euangelium, 7 quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui uos conturbant et uolunt conuertere euangelium christi. 8 sed licet nos aut angelus de caelo euangelizet uobis praeterquam quod euangelizauimus uobis, anathema sit. 9 sicut praediximus et nunc iterum dico: si quis uobis euangelizauerit praeter id, quod accepistis, anathema sit. 10 modo enim hominibus suadeo aut deo? aut quaero hominibus placere? si adhuc hominibus placerem, christi seruus non essem. notum enim uobis facio, fratres, euangelium quod euangelizatum est a me quia non est secundum hominem. 12 neque enim ego ab homine accepi illud neque didici sed per reuelationem ihesu christi. 13 audistis enim conuersationem meam aliquando in iudaismo, quoniam supra modum persequebar ecclesiam dei et expugnabam illam 14 et proficiebam

---

2 eum] illum Vi 3 omnes *om.* A^{c} ecclesiae A Vi (H a b d) 4 gratiae C patre nostro et domino A (H e) patre et domino H a b d (patre et domino nostro H c) 5 dedit se ipsum C se dedit Vi eriperet] liberaret A Vi 6 nequam] malo H C Vi maligno A 7 est *om.* A amen *om.* Vi 8 uocauit uos CA 9 in] per A^{m} christi] christi ihesu H ihesu christi C *om.* Vi nisi si CVi 10 aliqui sunt AVi conturbant uos CA 11 licet] etsi AVi aut] uel Vi euangelizauerit uobis CA^{m} uobis euangelizauerit Vi uobis *om.* A^{c} 12 quod *om.* CA^{c} uobis *om.* A 13 euangelizauerit] adnuntiauerit C praeter id] praeterquam CAVi 14 suadeo] satisfacio A 15 *pr.* aut] an HVi 16 seruus christi A enim] autem A^{m} facio uobis Vi 17 euangelizatum] praedicatum A *prius* est *om.* Vi 18 excepi Vi neque] aut A 19 didici] doctus sum Vi meam conuersationem C 20 quoniam] quod C quia A Vi super C 21 illam] eam A *om.* Vi

5 *ἐκ τοῦ αἰῶνος τοῦ ἐνεστῶτος*] *ἐκ τοῦ ἐνεστῶτος αἰῶνος* DGKL 9 *χριστοῦ*] *ἰησοῦ χριστοῦ* D *om.* G 21 *ἐπόρθουν*] *ἐπολέμουν* G

in iudaismo supra multos coetaneos in genere meo abundantius aemulator existens paternarum mearum traditionum. 15 cum autem placuit ei, qui me segregauit de utero matris meae et uocauit per gratiam suam, 16 ut reuelaret filium suum in me, ut euangelizarem illum in gentibus: continuo non adquieui carni et sanguini 17 neque ueni hierosolyma ad antecessores meos apostolos, sed abii in arabiam et iterum reuersus sum damascum. 18 deinde post annos tres ueni hierosolyma uidere petrum et mansi apud eum diebus quindecim. 19 alium autem apostolorum uidi neminem nisi iacobum fratrem domini. 20 quae autem scribo uobis, ecce coram deo quia non mentior. 21 deinde ueni in partes syriae et ciliciae. 22 eram autem ignotus facie ecclesiis iudeae quae erant in christo; 23 tantum autem auditum habebant, quoniam qui persequebatur nos aliquando nunc euangelizat fidem quam aliquando expugnabat, 24 et in me clarificabant deum.

II. 1 Deinde post annos quattuordecim iterum ascendi hierosolyma cum barnaba adsumpto et tito. 2 ascendi autem secundum reuelationem et contuli cum illis euangelium quod praedico in gentibus, seorsum autem his qui uidebantur, ne forte in uacuum currerem aut cucurrissem. 3 sed neque titus, qui mecum erat, cum esset gentilis, conpulsus est circumcidi, 4 sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem

---

1 super CA coetaneos meos AVi 2 mearum *om.* Vi cum autem] sed cum Vi 3 ei] deo C segregauit me C de] ex Vi 4 ut reuelaret] reuelare A euangelizem H 5 illum] eum CA 6 in hierosolyma C praecessores CAVi 7 reuersus] regressus A^{m} 8 ueni] adscendi A in hierosolyma C remansi CA^{c} 9 eum] illum CA^{c2} dies A^{m} apostolorum] ex apostolis A^{m} neminem uidi H a b Vi 11 quia] quoniam A^{c} partes] regiones A 13 erant] sunt CVi in christo ihesu H tantum autem] solummodo A tantummodo Vi auditum habebant] audientes erant C audiebant AVi quoniam] quia CA quod Vi is qui Vi 14 euangelizat] adnuntiant C praedicat A aliquando] quondam H 15 clarificabant] glorificabant H magnificabant CAVi (He) 16 deinde] dehinc H XIIII annos C iterum] rursum H *om.* A^{c} ascendi iterum C 18 contuli cum] exposui AVi illis] eis HC in gentibus] inter gentes CVi gentibus A^{c} 19 seorsum] secreto CA sibi aliquid uidebantur A^{c} aliquid esse uidebantur A^{m} firmamenta uidebantur esse Vi 21 cum esset gentilis] cum esset ex gentibus H cum esset graecus C[A] graecus Vi conpulsus] coactus C non est A propter subintroductos autem HCA^{m} propter autem s. A_{c} subinductos A^{c}Vi 22 subintrauerunt AVi (Hd) explorare] auscultare Vi

4 *εὐαγγελίζωμαι*] *εὐαγγελίσωμαι* D 8 *κηφᾶν*] *πέτρον* DGKL 9 *οὐκ εἶδον*] *εἶδον οὐδένα* DG 15 *ἐπόρθει*] *ἐπολέμει* G *ἐδόξαζον ἐν ἐμοί*] *ἐν ἐμοὶ ἐδόξαζον* DG 16 *πάλιν ἀνέβην*] *ἀνέβην πάλιν* DG

nostram quam habemus in christo ihesu, ut nos in seruitutem redigerent. 5 quibus neque ad horam cessimus subiectioni, ut ueritas euangelii permaneat apud uos. 6 ab his autem qui uidebantur esse aliquid: quales aliquando fuerint, nihil mea interest. deus personam hominis non accipit. mihi enim qui uidebantur nihil contulerunt, 7 sed e contra cum uidissent, quod creditum est mihi euangelium praeputii sicut petro circumcisionis: 8 qui enim operatus est petro in apostolatum circumcisionis operatus est et mihi inter gentes: 9 et cum cognouissent gratiam quae data est mihi iacobus et cephas et iohannes, qui uidebantur columnae esse, dextras dederunt mihi et barnabae societatis, ut nos in gentes ipsi autem in circumcisionem, 10 tantum ut pauperum memores essemus, quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere. 11 cum autem uenisset cephas anthiociam, in faciem ei restiti, quia repraehensibilis erat. 12 prius enim quam uenirent quidam ab iacobo, cum gentibus edebat; cum autem uenissent, subtrahebat et segregabat se timens eos, qui ex circumcisione erant, 13 et simulationi eius consenserunt ceteri iudaei, ita ut et barnabas duceretur ab eis in illa simulatione. 14 sed cum uidissem, quod non recte ambularent ad ueritatem euangelii, dixi cephae coram omnibus: si tu cum iu-

---

1 ihesu *om.* Vi 2 redigerent] subicerent A quibus neque *om.* CAVi 3 permaneret H a b autem] uero A^{m} uidentur CVi existimantur A 4 aliquid esse A fuerunt CA 5 hominis personam C hominis faciem Vi qui] quae C uidentur esse C existimantur aliquid esse A aliquid existimantur esse Vi 6 e contra] contra HC magis contra Vi quod] quia C quoniam Vi mihi est C 8 mihi] in me A 9 ad gentes A in gentibus Vi et scientes gratiam dei A et cognita gratia Vi 10 iacobus et cephas] petrus et iacobus HCA[Vi] 11 societatis] communionis A^{m} ad gentes A in gentibus Vi 12 autem] uero A in circumcisione praedicarent Vi tantummodo Vi ut inopum memores essemus pauperum A^{c} 13 sollicitus fui] sollicite curaui A etiam hoc ipsum Vi 14 cephas] petrus HCA Vi in antiochiam Vi ei] illi CA^{m} Vi quia] quoniam Vi repraehensibilis] reprehensus CAVi 15 uenissent A uenisset C ab] a HA 16 gentilibus C uenisset C subtrahebat se et segregabat C subtrahebat se Vi 17 erant ex circumcisione AVi simulationi eius consenserunt] consenserunt cum illo CVi simulauerunt cum illo A 18 et ceteri CAVi ut et] ut H a b A^{c1} Vi et C eis] his C duceretur—simulatione] consentiret simulationi eorum AVi 19 quod] quoniam Vi recte ambularent] recto pede incedunt H recta uia incedunt A^{c} (—incederent A^{m}) recte ingrediuntur CVi 20 cephae] petro HCAVi sis iudaeus CAVi

2 *οἷς οὐδέ om.* D 5 *πρόσωπον (ὁ) θεὸς ἀνθρώπου*] *θεὸς ἀνθρώπου πρόσωπον* DG *οἱ δοκοῦντες*] *οἱ δοκοῦντές τι εἶναι* G 10 *ἰάκωβος καὶ κηφᾶς*] *πέτρος καὶ ἰάκωβος* DG 12 *τῶν πτωχῶν ἵνα*] *ἵνα τῶν πτωχῶν* DG 14 *κηφᾶς*] *πέτρος* DGKL 18 *συναπήχθη αὐτῶν τῇ ὑποκρίσει*] *συναπ. τῇ ὑποκ. αὐτῶν* DG 20 *τῷ κηφᾷ*] *τῷ πέτρῳ* DGKL

daeus sis, gentiliter et non iudaicae uiuis, quomodo gentes cogis indaizare? 15 nos natura iudaei et non ex gentibus peccatores, 16 scientes autem, quod non iustificatur homo ex operibus legis nisi per fidem ihesu christi, et nos in christo ihesu credimus, ut iustificemur ex fide christi et non ex operibus legis, propter quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. 17 quodsi quaerentes iustificari in christo inuenti sumus et ipsi peccatores, numquid christus peccati minister est? absit. 18 si enim quae̅ destruxi haec iterum aedifico, praeuaricatorem me constituo. 19 ego enim per legem legi mortuus sum, ut deo uiuam; christo confixus sum cruci. 20 uiuo autem iam non ego, uiuit uero in me christus; quod autem nunc uiuo in carne, in fide uiuo filii dei, qui dilexit me et tradidit semet ipsum pro me. 21 non abicio gratiam dei; si enim per legem iustitia, ergo christus gratis mortuus est.

III. 1 O insensati galatae, quis uos fascinauit, ante quorum oculos ihesus christus proscriptus est crucifixus? 2 hoc solum uolo a uobis discere: ex operibus legis spiritum accepistis an ex auditu fidei? 3 sic stulti estis, ut cum spiritu coeperitis nunc carne consummamini? 4 tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa. 5 qui ergo tribuit uobis spiritum et operatur uirtutes in uobis ex operibus legis an ex auditu fidei? 6 sicut abraham credidit deo et reputatum est ei ad iustitiam. 7 cognoscite ergo, quia qui ex fide

---

1 et non iudaice *om.* CAVi coges gentes A[c] 3 autem *om.* Vi quod quia CAVi 4 christi ihesu Vi in christum ihesum A per ihesum christum C credidimus C (Hcd) 5 ex] in H christi *om.* A[c]Vi propter quod] qui[a] C quoniam AVi 6 legis *om.* Vi iustificatur H a b d[1] A[m]Vi quodsi] si autem CAVi 7 inuenti sumus] inuenimur A inueniemur Vi et ipsi *om.* C numquid] ergo CA[c] num ergo A[m] ergo et Vi 8 est *om.* C 9 iterum haec Vi reaedifico A 10 christo cruci confixus sum C cum christo crucifixus sum Vi 11 uiuit uero] uiuit autem HC sed uiuit AVi qui in me est christus A 12 autem] uero A filii dei] filii dei et christi HVi dei et christi C 13 semet] se HCA abicio gratiam] sum ingratus gratiae AVi 14 si enim] nam si Vi iustitia est Vi 15 insensati] stulti Vi quorum ante A 16 christus ihesus A[m]Vi ihesus *om.* A[c] praescriptus H a b e est in uobis HCA[c] est et in uobis A[m]Vi discere uolo a uobis C uolo discere a uobis AVi 18 stulti] insensati C sine intellectu A ut *om.* HCA cum coeperitis spiritu C incipientes spiritu A consumemini Vi perficiamini C 20 tribuit] praebet A 21 legis operatus est Vi sicut scriptum est credidit abraham A 22 reputatum] aestimatum A ei] (illi H c d *om.* e) cognoscitis HA

5 *ἐκ πίστεως χριστοῦ*] *χριστοῦ om.* G 12 *τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ*] *τοῦ θεοῦ καὶ χριστοῦ* BDG 16 *προεγράφη*] *προεγράφη ἐν ὑμῖν* DGKL *θέλω μαθεῖν ἀφ' ὑμῶν*] *μαθεῖν θέλω ἀφ' ὑμῶν* DG 21 *ἀβραὰμ ἐπίστευσεν*] *γέγραπται ἐπίστευσεν ἀβραάμ* G

sunt hii sunt filii abrahae. 8 prouidens autem scriptura, quia ex fide iustificat gentes deus, praenuntiauit abrahae, quia benedicentur in te omnes gentes. 9 igitur qui ex fide sunt benedicentur cum fideli abraham. 10 quicumque enim ex operibus legis sunt sub maledicto sunt. scriptum est enim: maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. 11 quoniam autem in lege nemo iustificatur apud deum, manifestum est, quia iustus ex fide uiuit. 12 lex autem non ex fide, sed qui fecerit ea uiuet in illis. 13 christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum, quia scriptum est: maledictus omnis qui pendet in ligno, 14 ut in gentibus benedictio abrahae fieret in christo ihesu, ut pollicitationem spiritus accipiamus per fidem. 15 fratres, secundum hominem dico; tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit aut superordinat. 16 abrahae dictae sunt promissiones et semini eius. non dicit: et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno et semini tuo, qui est christus. 17 hoc autem dico: testamentum confirmatum a deo quae post quadringentos et triginta annos facta est lex non irritam facit ad euacuandam promissionem. 18 nam si ex lege hereditas, iam non ex repromissione; abrahae autem per repromissionem donauit deus. 19 quid igitur lex? propter transgressiones posita est,

---

1 *prius* sunt *om.* A^{c} 2 pronuntiauit C praedixit Vi benedicuntur C 3 in te *om.* C igitur] ergo A[Vi] sunt *om.* A^{c} benedicuntur A^{m} 4 quicumque] quotquot CA 5 maledictione Vi est enim] quippe est A^{m} est enim quia C 6 permanet C 7 quoniam] quod A manifestum scriptum est C 9 in illis] in illis in eis A^{c} in eis A^{m} 11 in gentes C 12 per christum ihesum A^{m} ut] et A^{m} pollicitationem] repromissiones H b (—is a — em c d e) benedictionem CA 13 tamen hominis testamentum confirmatum H hominis testamentum confirmatum tamen A^{m} tamen hominis testamentum confirmatum auctoritate A^{c} 14 spernit] inritum facit CA 15 seminibus tuis C 16 quasi] tamquam C quasi] sicut C qui] quod A 17 a deo in christo CA 18 est *om.* C irritam facit] infirmat A 19 repromissionem C nam si] quia si H si enim CA 20 promissione H a b^{1} c A per *om.* C promissionem A^{c} 21 igitur] ergo CA propter transgressiones] factorum gratia C factorum A[Vi]

7 *δῆλον ὅτι] δῆλον γέγραπται γὰρ ὅτι* D *γέγραπται γὰρ ὅτι* G 12 *τὴν ἐπαγγελίαν] τὴν εὐλογίαν* DG 14 *τῷ δὲ ἀβραάμ] τῷ ἀβραάμ* DG 15 *τοῖς σπέρμασιν] τοῖς σπέρμασίν σου* D 16 *ὅς ἐστιν] ὅ ἐστιν* D 17 *προκεκυρωμένην] κεκυρωμένην* G *ὑπὸ τοῦ θεοῦ] ὑπὸ τοῦ θεοῦ εἰς χριστόν* DGKL 21 *τί οὖν ὁ νόμος; τῶν παραβάσεων χάριν] τί οὖν ὁ νόμος τῶν πράξεων* G *προσετέθη] ἐτέθη* DG

donec ueniret semen cui promiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris. 20 mediator autem unius non est, deus autem unus est. 21 lex ergo aduersus promissa dei? absit. si enim data esset lex quae posset uiuificare uere ex lege esset iustitia. 22 sed conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide ihesu christi daretur credentibus. 23 prius autem quam ueniret fides sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quae reuelanda erat, 24 itaque lex pedagogus noster fuit in christo, ut ex fide iustificemur. 25 at ubi uenit fides, iam non sumus sub pedagogo. 26 omnes enim filii dei estis per fidem in christo ihesu. 27 quicumque enim in christo baptizati estis, christum induistis. 28 non est iudaeus neque graecus, non est seruus neque liber, non est masculus neque femina; omnes enim uos unum estis in christo ihesu. 29 si autem uos christi, ergo abrahae semen estis secundum promissionem heredes.

IV. 1 Dico autem: quanto tempore heres paruulus est, nihil differt a seruo, cum sit dominus omnium, 2 sed sub tutoribus est et actoribus usque ad praefinitum tempus a patre. 3 ita et nos cum essemus paruuli sub elementis mundi eramus seruientes; 4 at ubi uenit plenitudo temporis, misit deus filium suum factum ex muliere factum sub lege, 5 ut eos qui sub lege erant redimeret,

---

1 donec ueniret] quoadusque ueniat C repromissum erat H a b (promissum erat H c d e) repromissus est C promissum est A[Vi] ordinata] disposita A[Vi] dispositum C 2 deus uero A[m] 3 ergo] igitur A dei *om.* C[Vi] etenim si A[m] esset] est C 4 uere] pro certo C esset *om.* C 6 credentibus] eis qui credunt C autem] enim A 7 eam] eandem A reuelanda erat] postea retegebatur C incipiebat reuelari A futura erat ut reuelaretur Vi 8 in christo ihesu HA in christum ihesum C iustificaremur A[m] 9 at ubi uenit fides] ueniente autem fide CAVi iam *om.* H sub paedagogo sumus HCAVi 10 estis filii dei Vi per fidem quae est HA fide Vi quicumque enim] quotquot enim A nam quicumque Vi 12 *alter.* est *om.* Vi 13 neque] et C 14 si autem uos unum estis in christo ihesu C si ergo (igitur A[c]) uos omnes unum estis in christo ihesu A 16 quanto tempore] quamdiu CVi quod quamdiu A est *om.* A[c] 17 dominus omnium sit C dominus sit omnium Vi sub curatore est et actores C sub curatoribus et actoribus est A sub curatoribus est et actoribus Vi 18 ad] in Vi tempus *om.* C ita] sic C 19 huius mundi HCAVi seruientcs] subiecti A 20 at ubi] postquam uero C cum autem Vi at ubi autem A[c] temporum C factum] editum Vi 21 muliere] femina Vi.

4 *ἐκ νόμου ἦν ἄν*] *ἦν ἄν om.* G 8 *εἰς χριστόν*] *εἰς χριστὸν ἰησοῦν* DG 13 *ἄρσεν*] *ἄρσησ* G *ὑμεῖς εἷς ἐστε*] *ὑμεῖς ἕν ἐστε* G 14 *εἰ δὲ ὑμεῖς χριστοῦ*] *εἰ δὲ ὑμεῖς εἷς ἐστε ἐν χριστῷ ἰησοῦ* D *εἰ δὲ ὑμεῖς πάντες ἕν ἐστε ἐν χριστῷ ἰησοῦ* G 15 *κληρονόμοι*] *καὶ κληρονόμοι* GKL 16 *λέγω δέ*] *λέγω δὲ ἀδελφοί* G

ut adoptionem filiorum reciperemus. 6 quoniam autem estis filii, misit deus spiritum filii sui in corda nostra clamantem abba pater. 7 itaque iam non es seruus sed filius; quodsi filius, et heres per deum; 8 sed tunc quidem ignorantes deum his qui natura non sunt dii seruiebatis. 9 nunc autem cum cognoueritis deum, immo cogniti sitis a deo, quomodo conuertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo seruire uultis? 10 dies obseruatis et menses et tempora et annos. 11 timeo uos, ne forte sine causa laborauerim in uobis. 12 estote sicut et ego, quia et ego sicut uos. fratres, obsecro uos. nihil me laesistis. 13 scitis autem, quia per infirmitatem carnis euangelizaui uobis iam pridem, 14 et temptationem uestram in carne mea non spreuistis neque respuistis, sed sicut angelum dei excepistis me sicut christum ihesum. 15 ubi est ergo beatitudo uestra? testimonium enim perhibeo uobis, quia si fieri posset oculos uestros eruissetis et dedissetis mihi. 16 ergo inimicus uobis factus sum uerum dicens uobis? 17 aemulantur uos non bene, sed excludere uos uolunt, ut

---

1 filiorum adoptionem AVi sed quoniam filii estis dei Vi estis filii dei HCA 2 sui *om.* A^c nostra] uestra Vi clamantes C[Vi] 3 es] est CA quod si] si autem CAVi heres per christum H heres dei per christum C 4 ignorantes] nescientes HC his — a deo] seruistis his qui natura non erant dii; nunc uero cognoscentes deum, magis autem cogniti ab eo H hi qui non sunt dii seruiebatis; nunc autem uti cognouistis deum, magis autem cognoti estis a deo C his qui natura (natura *om.* A^c) non sunt dii seruiebatis; nunc autem cognoscentes deum, immo uero cogniti a deo A his qui non sunt dii seruistis; nunc autem ut cognouistis deum, immo cogniti estis a deo Vi 6 iterum conuertimini A^m 7 huius mundi elementa Vi denuo] rursum HVi rursus C 8 annos et tempora C forte *om.* A sine causa] frustra A 9 *prius* et *om.* A^mVi quia] quoniam Vi 10 me laesistis] me *om.* C mihi nocuistis A 11 autem *om.* CAVi quia] quod C 12 quae erat in carne mea H 13 sicut] ut Vi suscepistis H a b sicut] ut Vi A^c 14 ubi est ergo] quae ergo erat CAVi enim *om.* H a b c Vi testimonium — uobis] testis enim sum uobis A 15 uobis perhibeo CVi quia] quoniam Vi posset] potuisset HA 16 ergo ego C inimicus uester Vi uerum] ueritatem H dicens] praedicans Vi 17 sed] et Vi

1 *υἱοί*] *υἱοὶ τοῦ θεοῦ* DG 2 *τὸ πνεῦμα — κρᾶζον*] *τὸ πνεῦμα — ἐν ᾧ κράζομεν* G 3 *κληρονόμος διὰ θεοῦ*] *κληρονόμος θεοῦ διὰ χριστοῦ* DKL 4 *ἐδουλεύσατε τοῖς φύσει μὴ οὖσιν θεοῖς*] *τοῖς φύσει μὴ* (*μὴ φύσει* G) *οὖσιν θεοῖς ἐδουλεύσατε* DG 8 *καιροὺς καὶ ἐνιαυτούς*] *ἐνιαυτοὺς καὶ καιρούς* DG 10 *οἴδατε δέ*] *δέ* *om.* DG 14 *ποῦ οὖν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν*] *τίς οὖν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν* DKL *add.* *ἦν* DGK 15 *ὑμῖν* *om.* G 16 *ὥστε ἐχθρός*] *ὥστε ἐγὼ ἐχθρός* DG

illos aemulemini. 18 bonum autem aemulamini in bono semper et non tantum cum praesens sum apud uos. 19 filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur christus in uobis. 20 uellem autem esse apud uos modo et mutare uocem meam, quoniam confundor in uobis. 21 dicite mihi, qui sub lege uultis esse: legem non legistis? 22 scriptum est enim, quoniam abraham duos filios habuit unum de ancilla et unum de libera. 23 sed qui de ancilla secundum carnem natus est, qui autem de libera per repromissionem. 24 quae sunt per allegoriam dicta. haec enim sunt duo testamenta: unum quidem a monte sina in seruitutem generans, quae est agar. 25 sina enim mons est in arabia, qui coniunctus est ei quae nunc est hierusalem, et seruit cum filiis eius; 26 illa autem quae sursum est hierusalem libera est, quae est mater nostra. 27 scriptum est enim: laetare sterelis quae non paris, erumpe et clama quae non parturis; quia multi filii desertae magis quam eius quae habet uirum. 28 nos autem, fratres, secundum isaac promissionis filii sumus. 29 sed quo modo tunc qui secundum carnem natus fuerat persequebatur eum qui secundum spiritum, ita et nunc. 30 sed quid dicit scriptura? eice ancillam et filium eius; non enim heres erit filius ancillae cum filio liberae. 31 itaque, fratres, non sumus ancillae filii sed liberae.

---

1 illos] eos CA bonum — in bono] aemulamini autem meliora dona, bonum est aemulari in bonis C aemulamini autem meliora dona, bonum aemulamini A aemulamini autem meliora dona, bonum est aemulari meliora Vi 2 tantum] solum CAVi aput uos sum A^c filioli] filii CA^c Vi 3 christus formetur AVi 4 esse — modo] adesse aput uos modo C praesens esse nunc apud uos A nunc adesse apud uos Vi mutarem A^c quoniam] quia A 5 qui — uultis] — uolentes C 6 legistis] audistis H quoniam] quia CA quod Vi 7 habuerit A^m ex ancilla CA^c et *om.* Vi is quidem qui CA^mVi quidem qui A^c de] ex A^c 8 promissionem A^c 9 sunt — dicta] quidem sunt allegorica H sunt significantia C haec enim] nam haec A^mVi 10 a] ex Vi 11 quae] quod A^c Vi sina] agar C enim] autem A 12 qui conterminus est H quae consonat C qui (quae A^c) coniungitur A coniunctus Vi ei] huic CA quae] qui Vi iuxta hierusalem Vi et seruit] seruit enim C seruiens A 13 eius] suis HCA[Vi] illa — sursum] quae autem sursum CVi 14 quae est *om.* Vi nostra] omnium nostrum H omnium nostrorum Vi 15 exclama A^c quia] quoniam Vi 16 nos — sumus] uos (uobis C) — estis CAVi 17 quomodo] sicuti Vi sicut C 18 fuerat] est C[Vi] 19 [spiritum erat Vi] ita] sic Vi 20 liberae] meo isaac HCAVi itaque] ergo Vi fratres *om.* A 21 simus Vi

1 *καλὸν δὲ ζηλοῦσθαι ἐν καλῷ πάντοτε*] *ζηλοῦτε δὲ τὰ κρείττω χαρίσματα, καλὸν τὸ ζηλοῦσθαι ἐν καλῷ πάντοτε* (*πάντοτε ἐν τῷ ἀγαθῷ* G) DG 5 *τὸν νόμον οὐκ ἀκούετε*] — *ἀναγινώσκετε* DG 12 *συνστοιχεῖ δὲ τῇ νῦν ἰερουσαλήμ*] *συνστοιχοῦσα* (*ἡ συνστοιχοῦσα* G) *τῇ ν. ἰ.* DG 16 *ἡμεῖς — ἐσμέν*] *ὑμεῖς — ἐστέ* BDG 20 *μετὰ τοῦ υἱοῦ τῆς ἐλευθέρας*] *μ. τ. υἱοῦ μου ἰσαάκ* DG

V. 1 Qua libertate nos christus liberauit state et nolite iterum iugo seruitutis contineri. 2 ecce ego paulus dico uobis, quoniam si circumcidamini, christus uobis nihil proderit. 3 testificor autem rursum omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est uniuersae legis faciendae. 4 euacuati estis a christo, qui in lege iustificamini, a gratia excidistis. 5 nos enim spiritu ex fide spem iustitiae expectamus. 6 nam in christo ihesu neque circumcisio aliquid ualet neque praeputium, sed fides quae per caritatem operatur. 7 currebatis bene. quis uos inpediuit ueritati non oboedire? 8 persuasio non est ex eo qui uocat uos. 9 modicum fermentum totam massam corrumpit. 10 ego confido in uobis in domino, quod nihil aliud sapietis; qui autem conturbat uos portabit iudicium, quicumque est ille. 11 ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc praedico, quid adhuc persecutionem patior? ergo euacuatum est scandalum crucis. 12 utinam et abscidantur qui uos conturbant. 13 uos enim in libertatem uocati estis, fratres; tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per caritatem seruite inuicem. 14 omnis enim lex in uno sermone impletur: diliges proximum tuum sicut te ipsum. 15 quodsi inuicem mordetis et comeditis, uidete

1 christus nos AVi state ergo AVi 2 seruitutis iugo CA contineri] cohiberi A^c quoniam] quia CA 3 prodest H testificor — circumcidenti] contestor autem omnem hominem circumcidentem H 4 rursum *om.* HCAVi quoniam] quia A 5 qui enim A^m 6 iustificamini] gloriamini A enim] autem A^m in spiritu et fide Vi 7 in christo enim ihesu CA^c 8 aliquid] quidquam A^m 9 uos] uobis Vi 10 obedire? nemini consenseritis Vi persuasio uestra non est ex eo H suasio ex eo est C suasio uestra non est a deo A suasio uestra ex deo est Vi uocauit uos H uos uocat C [uos] uocauit Vi nescitis quia modicum Vi 11 totam] uniuersam Vi massam corrumpit] conspersionem fermentat H *pr.* in] de Vi 12 quod] quia HA sapietis] sentietis CA 13 est ille] fuerit A^c Vi 14 *prius* adhuc *om.* HCAVi 15 et *om.* A^c Vi hi qui A uos conturbant] subuertunt uos C uos subuertunt A 17 libertatem — carnis] libertate in occasionem carnis abutamini Vi detis *om.* C carnis detis H carni detis A sed *om.* Vi caritatem spiritus CVi dilectionem spiritus A uobis inuicem A 18 omnis] uniuersa AVi in uno] in uobis uno CA^c Vi in uobis in uno A^m sermone] uerbo A 19 mordetis et inaccusatis inuicem C mordetis inuicem et criminatis A mordetis et accusatis inuicem Vi

1 *τῇ ἐλευθερίᾳ] ᾗ ἐλευθερίᾳ* G *στήκετε οὖν] οὖν om.* DKL 2 *ζυγῷ δουλίας] δουλίας ζυγῷ* DG 3 *μαρτύρομαι δὲ πάλιν] πάλιν om.* DG 9 *ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι] μηδενὶ πείθεσθαι add.* G 10 *ἡ πεισμονὴ οὐκ ἐκ τοῦ καλοῦντος ὑμᾶς] οὐκ om.* D 11 *ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ] ὁ. τ. φ. δολοῖ* D 13 *εἰ περιτομὴν ἔτι κηρύσσω] ἔτι om.* DG 16 *ὑμεῖς γάρ] ὑ. δέ* G 17 *εἰς ἀφορμὴν τῇ σαρκί] ἐ. ἀ. τῆς σαρκός* D *ἐ. ἀ. τῇ σαρκὶ δῶτε* G *διὰ τῆς ἀγάπης] τῇ ἀγάπῃ τοῦ πνεύματος* DG 18 *ἐν ἑνὶ λόγῳ] ἐν ὑμῖν ἐν ἑνὶ λόγῳ* DG *πεπλήρωται] πληροῦται* DGKL *ἐν τῷ ἀγαπήσεις] ἐν τῷ om.* DG 19 *ἀλλήλους δάκνετε καὶ κατεσθίετε] δάκν. καὶ κατεσθ. ἀλλήλ.* DG

ne ab inuicem consummamini. 16 dico autem: spiritu ambulate et desiderium carnis non perficietis. 17 caro enim concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem, haec enim inuicem aduersantur, ut non quaecumque uultis illa faciatis. 18 quodsi spiritu ducimini, non estis sub lege. 19 manifesta autem sunt opera carnis, quae sunt fornicatio inmunditia luxuria 20 idolorum seruitus, ueneficia inimicitiae contentiones aemulationes irae rixae dissensiones sectae 21 inuidiae homicidia ebrietates comesationes et his similia; quae praedico uobis sicut praedixi, quoniam qui talia agunt regnum dei non consequentur. 22 fructus autem spiritus est caritas gaudium pax longanimitas bonitas benignitas fides 23 modestia continentia; aduersus huiusmodi non est lex. 24 qui autem sunt christi carnem suam crucifixerunt cum uitiis et concupiscentiis. 25 si uiuimus spiritu, spiritu et ambulemus. 26 non efficiamur inanis gloriae cupidi inuicem prouocantes inuicem inuidentes.

VI. 1 Fratres etsi praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui spiritales estis huiusmodi instruite in spiritu lenitatis considerans te ipsum, ne et tu tempteris. 2 alter alterius onera

---

1 consummamini (consumamini Vi) ab inuicem CVi   autem uobis Vi   2 desideria H a b d concupiscentiam CA   caro enim] nam caro CAVi caro uero H a b (caro autem H d; caro enim H c e)   3 autem] uero A   sibi inuicem A^{m} inuicem sibi A^{c} 4 quaecumque — illa] ea quae — A   illa] ista C   quodsi] si autem C   5 spiritu dei A   sunt autem A^{m} 6 fornicatio — seruitus] adulteria fornicationis immunditia iupudicitia idololatrocinia C adulterium fornicatio impuritas obscoenitas idololatria A   luxuria] impudicitia H   7 aemulationes] simulationes A   rixae] irritationes C simultates A   8 sectae] haereses] HCA   homicidia *om.* H   9 similia his C quae sunt his similia A   sicut et CA   quoniam] quia C quod A   hi qui A   10 talia] haec H   regnum dei] regni dei hereditatem A   consequentur] possidebunt HC   autem] uero A   11 bonitas — continentia] benignitas bonitas fides mansuetudo continentia H patientia bonitas mansuetudo fides lenitas continentia castitatis C benignitas spes lenitas continentia castitas bonitas A   13 sunt *om.* C   christi sunt A^{c} suam *om.* HC   uitiis] passionibus C   14 spiritu uiuimus C   spiritui obtemperemus H spiritu ambulemus C   15 efficiamur — cupidi] simus inanem gloriam sectantes A   17 in] ab A^{m} 18 instruite huiusmodi HCA   lenitatis] mansuetudinis HCA   19 te — tempteris] unusquisque se ipsum, ne et ipse temptetur C[Vi]   alter alterius onera] inuicem onera uestra A

1 *μὴ ὑπ' ἀλλήλων ἀναλωθῆτε*] *μὴ ἀναλ. ὑπ' ἀλλήλων* DG   6 *πορνεία*] *μοιχεία πορνεία* DKL *μοιχεῖαι πορνεῖαι* G (*μοιχεῖαι — ἔρεις in plurali* G)   8 *φόνοι om.* ℵ B   12 *ἐγκράτεια*] *ἐγκράτεια ἁγνεία* DG   13 *οἱ δὲ τοῦ χριστοῦ ἰησοῦ*] *ἰησοῦ om.* DGKL   *τὴν σάρκα*] *αὐτῶν add.* G   14 *εἰ ζῶμεν πνεύματι*] *εἰ πνεύματι ζῶμεν* DG   *πνεύματι καὶ στοιχῶμεν*] *πν. στοιχῶμεν* G   19 *σκοπῶν σεαυτόν, μὴ καὶ σὺ πειρασθῇς*] *σκοπῶν ἕκαστος, μὴ καὶ αὐτὸς πειρασθῇ* G

portate et sic adimplebitis legem christi. 3 nam si quis existimat se aliquid esse, cum sit nihil, ipse se seducit. 4 opus autem suum probet unusquisque et sic in semet ipso tantum gloriam habebit et non in altero; 5 unusquisque enim onus suum portabit. 6 communicet autem is qui cathecizatur uerbum ei qui se cathecizat in omnibus bonis. 7 nolite errare; deus non inridetur. 8 quae enim seminauerit homo, haec et metet; quoniam qui seminat in carne sua de carne et metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu de spiritu metet uitam aeternam. 9 bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus non deficientes. 10 ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. — 11 uidete, qualibus litteris scribsi uobis mea manu. 12 quicumque uolunt placere in carne, hi cogunt uos circumcidi, tantum ut crucis christi persecutionem non patiantur; 13 neque enim qui circumciduntur legem custodiunt, sed uolunt uos circumcidi, ut in carne uestra glorientur. 14 mihi autem absit gloriari nisi in cruce domini nostri ihesu christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo; 15 in christo enim ihesu neque circumcisio aliquid ualet neque praeputium sed noua creatura. 16 et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et miseri-

1 sic] ita Vi implebitis CAVi nam — se] si enim putat se quis C si enim quis uidetur sibi A quis] aliquis Vi 2 esse aliquid cum nihil sit HCAVi ipse se] se ipsum HA autem *om.* A[c] 3 sic] tunc CAVi in se solum C habebit gloriam CVi 4 in alterum C nam unusquisque Vi in proprium onus suum C suam sarcinam A proprium onus Vi 5 is *om.* Vi uerbo A ei *om.* C se *om.* CVi 6 ridetur C deridetur AVi quod enim quis seminauerit (seminauerit quis A[c]) hoc A 7 haec] eade[m] C quoniam qui] qui enim A quia qui Vi seminauerit A 8 de] ex A carne sua C et *om.* CA qui uero seminauerit A 9 et metet Vi 10 tempore enim] nam tempore Vi suo] proprio A non deficientes] non fatigati C infatigabiles A 12 uidete] scitote A ecce Vi qualibus] quantis Vi uobis scripsi C 13 cogunt] conpellunt CVi tantum *om.* A[c] 14 ut — non] ne A crucis — patiantur] crux christi non fugentur C nec C 15 qui circumcisi sunt HVi ipsi qui circumcisi sunt A qui circumcisi sunt ipsi C 16 uestra carne CAVi autem] uero A gloriari in nullo Vi 17 nostri ihesu christi *om.* A[c] 18 in — neque] neque enim HA[c] 19 aliquid] quidquam A ualet] est HCAVi 20 quicumque] quotquot A regulam hanc C secuti fuerint] sectantur H a b CVi sequuntur (H c e) A (secuntur H d) et *om.* Vi

2 *φρεναπατᾷ ἑαυτόν*] *ἑαυτὸν φρεναπατᾷ* DGKL 6 *ὃ — τοῦτο*] *ὃ — ταῦτα* DG 8 *ἐκ τῆς σαρκός*] *ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ* DG 12 *ὑμῖν γράμμασιν ἔγραψα*] *γράμμασιν ὑμῖν ἔγραψα* DG 14 *ἵνα — μὴ*] *ἵνα μὴ* —GKL 15 *οἱ περιτεμνόμενοι*] *οἱ περιτετμημένοι* B[G]L 18 *ἐν γὰρ χριστῷ ἰησοῦ οὔτε*] *οὔτε γάρ* B

cordia et super israhel dei. 17 de cetero nemo mihi molestus sit;
ego enim stigmata ihesu in corpore meo porto. 18 gratia domini
nostri ihesu christi cum spiritu uestro, fratres, amen.

---

1 dei] domini CVi molestus sit] molestias praestet Vi 2 ihesu] domini nostri ihesu christi HA[c] (nostri d. i. ch. A[m]) Vi domini ihesu christi C 3 amen *om.* AVi.

1 *καὶ ἐπὶ τὸν ἰσραήλ*] *καί om.* D *τοῦ θεοῦ*] *τοῦ κυρίου* DG *κόπους μοι μηδεὶς παρεχέτω*] *μηδ. μοι κοπ. παρ.* D 2 *τοῦ ἰησοῦ* ABC *τοῦ κυρίου ἰησοῦ* KL *τ. κ. ἰησοῦ χριστοῦ* ℵ *τ. κ. ἡμῶν ἰ. χ.* DG 3 *ἀμήν om.* G

Rectissime Zieglerus eis qui unam fuisse affirmant ante Hieronymum sacrarum scripturarum versionem Latinam quam vocant Italam Augustini illud obicit: 'difficile est ita diversos a se interpretes fieri, ut non se aliqua vicinitate contingant'[1]). Atque permultis quidem locis etiam eas quarum lectiones varias nos modo proposuimus versiones se contingere apparet.

Veri simillimum tamen est quod codicibus Vulgatae factum esse cognovimus idem iam antiquioribus versionibus accidisse, ut inter se conferrentur et miscerentur atque certe postquam Vulgata latius diffundi coepta est huius auctoritate antiquiores versiones corruptae sunt[2]).

Cuius rei antiquissimus Ambrosiastri codex Casinensis exemplum est. Nam hunc descriptum esse e codice qui pluribus locis varias lectiones adscriptas habuerit existimandum est, cum habeat II, 10 *ut inopum memores essemus pauperum* III, 12 *in illis in eis* IV, 4 *at ubi autem* II, 14 *recta* e *recte* a prima ut videtur manu restitutum est, ut scriba primum *recte ingrediuntur* vel *recte ambularent* scribere voluisse videatur. Accedit quod I, 18 pro *illum eum* scriptum fuit atque et hoc mutatum et *meos* I, 14 et *in illis* III, 12 damnata mihi quidem a prima manu esse videbantur. Atque cum et his locis altera lectio cum Vulgata congruat et plerisque aliis locis cod. Cas. ubi cum Maurinis discrepat cum illa conspiret, codicem illum unde descriptus sit cum quocumque codice Vulgatae collatum fuisse crediderim.

Etiam codicum Hieronymi scribae alia e consuetudine Vulgatae mutabant alia ex antiquioribus versionibus immiscebant, velut I, 24 e cum C A Vi *magnificabant*, ceteri omnes *glorificabant* II, 4 unus d cum A Vi *subintrauerunt* VI, 16 a b *sectantur* = C Vi c e *sequuntur* (d *secuntur*) = A. II, 20 quae omnes ll. mss. habent *in fide uiuo filii dei et christi*, sive Hieronymus ipse sic scripsit sive

[1]) Ziegler, Die lateinischen Bibelübersetzungen vor Hieronymus und die Itala des Augustinus. München 1879 p. 129.

[2]) Cf. Ziegler, ibid. p. 71 et 130.

locus a scribis corruptus est, ex his conflata sunt: *in fide uiuo filii dei* et *in fide uiuo dei et christi.* Eadem apud Victorinum inueniuntur, sed hic versum ita interpretatur, ut ipsum *filii* illud non agnovisse appareat.

Sed quamquam antiquas versiones interpolatas esse concedendum est, tamen quae ratio inter eas et Vulgatam intercedat, intellegi potest. Graviorem inter Vulgatam et Hieronymum discrepantiam esse quam quae casui vel arbitrio scribarum tribui possit nemo negabit. Sed et multo minorem Hieronymum quam ceteros numerum lectionum a Vulgata discrepantium praebere primo obtutu perspicitur. Atque hoc codicibus Graecis cum versionibus Latinis collatis etiam magis apparebit.

Quorum qui apud editores maximam auctoritatem habent his litteris signantur: ℵ A B C D G K L[1]). E et F cum apographa sint, ille codicis D, hic codicis G, neglexi neque eos qui parum integri sunt ut H et P aliique curandos esse putavi. Solos igitur quos nominavi respexi. Inter quos maxime D et G sive uterque per se sive vel inter se vel cum K L coniuncti discernuntur et cum iis Latini magis cognati esse reperiuntur. Itaque quotiens illi cum ceteris codicibus Graecis discrepant, utrasque lectiones paucasque alias, quae cur commemorarentur erat, supra attuli et tabulam unde facile cognoscatur, qua ratione Latini cum eis coniuncti sint, proponam. Qua in re si quae versio cum his non prorsus quidem sed magis quam cum ceteris codicibus Graecis consentiat, eius litteram uncis includam. Quae in coniectura posita sint, asterisco, ubi testimonium Victorini desit, interrogationis signo indicabo.

D		*D*		*G*	
I, 6	(H)C	VI,16		III,17	Vu H C A ?
16	Vu C A Vi	17	Vu H C A Vi	19	(C) A Vi*
II, 5	C A Vi	*G*		21	C
III,11	(C) ?	I, 6	Vi	28	Vu H C A Vi
16	C ?	13	Vu H C A Vi	—	Vu H C A Vi
—	A ?	23	Vu H C A Vi	29	A ?
29	C ?	II, 6	(C) A (Vi)	IV, 1	
V, 8	C Vi	16	A^c Vi	6	C Vi*
9	Vu C A Vi	III, 6	A	15	
13	Vu H C Vi	11	?	V, 1	Vu H C A Vi
				7	Vi

[1]) Usus sum editione Constantini Tischendorf VIII. critica maiore.

	G		*DG*		*DKL*
V,13		IV,13	C A Vi	IV, 7	Vu(H)C
—	(Vu)H A(Vi)	16	C	15	C A Vi
19	C ?	18	C(A Vi)	V, 1	Vu H C
24	Vu A ?	21	Vu C A Vi	19	A ?
25	H C ?	25	(Vu H)C A^{c}(A^{m} Vi)		*GKL*
VI, 1	C Vi*	30	H C A Vi	III,29	
18	A Vi	V, 1	C A	VI,12	A
	DG	3	H C A Vi		*DGKL*
I,19	Vu(H) C A(Vi)	11	H C A Vi	I, 4	Vu H C A Vi
24	Vu H C A Vi	13	C A Vi	18	Vu H C A Vi
II, 1	C	14	(C A^{c})A^{m}(Vi)	II,11	H C A Vi
6	C Vi	—	Vu H C A Vi	14	H C A Vi
9	H C A Vi*	15	C(A)Vi	III, 1	H C A^{c}(A^{m} Vi)
10	Vu H C A Vi	—	C Vi	17	C A ?
13	A Vi	23	(C)A ?	V,14	Vu H C A Vi
III, 2	C	25	C	24	Vu H C A Vi
14	C A ?	VI, 8	(Vu H C) (Vi)	VI, 3	Vu H C A Vi
16	Vu H C A ?	—	C		*BDG*
19	Vu H C A ?	11	C	II,20	(H)C (Vi)
24	(H) C(A)	16	C Vi	IV,28	C A Vi
IV, 6	H C A Vi	17	H A^{c}(A^{m}) Vi		*B[G]L*
8	Vu (C)A^{m}(A^{c}Vi)		*DGK*	VI,13	H C A Vi
10	C	IV,15	(Vu H)C A Vi		*ℵB*
				V,21	H
					B
				VI,15	H A^{c}

Apparet Hieronymum multo minus ceteris, Vulgatam etiam minus Hieronymo ex auctoritate eius codicum classis, cuius sunt D et G, pendere. Quod cum ita sit existimandum est libros sacros ab Hieronymo recensitos post eum denuo codicibus Graecis adhibitis recognitos esse eo consilio ut etiam magis ad meliores codices Graecos applicarentur; qua in re aliquoties quidem auctor Vulgatae in deteriorem usum antiquiorum versionum relapsus est.

Hieronymum aliis temporibus alias versiones secutum esse locis quibus epistula nostra tangitur, ex omnibus eius scriptis collectis intellexi. Inter quas versiones hoc tamen interest, quod ea quae in commentario in epistulam ad Galatas exhibetur ad Vulgatam multo propius ceteris accedit. Ad hoc probandum haec sufficiant: In epistula CXII. ad Augustinum (t. I. c. 742) Gal. II, 1—2 et 12—14, in ep. CXXI. ad Algasium (t. I. c. 871) III, 10 et 19, in commentario in Ezechiel (t. V, c. 52) V, 15 ad verbum exhibentur.

Qui loci si cum commentario Hieronymi et cum Vulgata conferuntur, hae lectiones inter se differentes reperiuntur:

Vulg.	Hier. in comm.	Hier. in aliis scriptis
II, 1—2		
deinde	*dehinc*	om.
iterum ascendi	*rursum ascendi*	*ascendi iterum* C
contuli cum illis	*contuli cum eis* C	*exposui* AVi *eis*[1])
	in gentibus	*inter gentes*[1]) CVi
	seorsum	*separatim*
	uidebantur	*uidebantur aliquid esse* (*aliquid esse uidebantur* A^{m})
II, 12—14		
	subtrahebat et segregabat se	*subtrahebat se et segregabat* C
	simulationi eius consenserunt	*consenserunt cum illo*[1]) CVi
et barnabas		*et* om. [C] A^{c} Vi
	duceretur	*adduceretur*
	eis	*his*
recte ambularent	*recto pede incedunt*	*recte ingrediuntur*[2]) CVi
cephae		*petro* C A Vi
	iudaeus sis	*sis iudaeus* C A Vi
	gentes cogis	*cogis gentes* A^{c}
III, 10		
	quicumque	*quotquot* C A
	permanserit	*permanet* C
III, 19		
	propter transgressiones	*propter praeuaricationes*
promiserat	*repromissum erat*	*repromissum est* [C]
	ordinata	*disposita* A [Vi] (*dispositum* C)
V, 15		
	quodsi	*si autem*
	comeditis	*accusatis* Vi (*inaccusatis* C *criminatis* A)

[1]) Sic Benedictini et mss. Veronenses secundum Vallarsi. Ipse legit *exposui cum eis in gentibus consenserunt simulationi eius.*

[2]) Vallarsi: *ingrediebantur,* in margine *al. ingrediuntur.*

Praeterea de V, 19 sqq. in commentario in Zachariam (t. VI. c. 816) haec habet: 'quid dicemus de *fornicatione, adulterio, homicidio, sacrilegio* cunctisque criminibus, quae ab apostolo inter carnis opera numerantur'. Contra in comm. in Galatas (t. VII. c. 509): 'in Latinis codicibus *adulterium* quoque et *impudicitia* et *homicidia* in hoc catalogo vitiorum referuntur. Sed sciendum non plus quam quindecim carnis opera nominata'.

Si haec ad ea quae supra[1]) exposuimus adiungimus, aliqua cum causa affirmabimus cum epistulam ad Gal. re vera ab Hieronymo recognitam tum in commentario eam exhibitam esse. Hanc vero a Vulgata diversam esse intelleximus.

Opus Hieronymi nova editione oblivione ita obruebatur, ut praeter evangelia nisi partes eius cum commentariis coniunctae codicibus usque in hunc diem non conservatae sint. Sed vestigia illius quaedam alia repperisse mihi videor.

Sunt enim et Beda in commentario et quidam codices, qui quasi medium quendam locum inter Vulgatam et Hieronymum teneant. Quorum in numero erat ille unde emendationes quae insunt in codice Parisino IV (cf. supra p. 11) fluxerunt; quas non ex ipso commentario sumptas esse eo probatur, quod neque omnes cum Hieronymo consentiunt et codex ab eadem manu per omne N. T. emendatus est. Cum eo aliquantum consentit cod. Paris. VII s. XI. vel XII. e codice descriptus qui et ipse duplici lectione instructus erat (Gal. II, 14 sic habet: *recto pede incedunt recte ambularent*). Maxime vero omnium codex Demidovianus s. XIII. aut XII. (ed. Matthaei Rigae 1784) cum Hieronymo congruit. Hi omnes Vulgatae qualem deteriores libri exhibere solent lectiones Hieronymianas cum quas Hieronymus cum aliis communes habet tum quae eius solius propriae videntur intermixtas habent[2]) velut:

I, 24 *glorificabant* b II, 11 *petrus* a b c d II, 14 *recto pede incedunt* a (b) *recto pede incedebant* d ibid. *petro* a c d III, 7 *cognoscitis* a III, 18 *ex promissione* a c d III, 19 *promissum erat* a III, 26 *per fidem quae est* a d IV, 6 *filii dei* a c d IV, 9 *nunc uero cognoscentes deum magis autem cogniti ab eo* a b c d IV, 15 *potuisset* c IV, 16 *ueritatem* c IV, 25 *filiis suis* a c d IV, 30 *filio meo isaac* a b c d V, 3 *contestor autem rursum omnem hominem circumcidentem se* a b c V, 8 *uocauit* d V, 11 *adhuc* ante *praedico* om. c V, 21 *homicidia* om. c.

---

[1]) Cf. p. 33 sqq.

[2]) Par. IV = a Par. VII = b Demid. = c Beda = d.

Berolini. Typis expressit W. Pormetter.

82743

Bible N.T. Galatians. Latin-
Epistula ad Galatas

N.T. Sem

Bible. N.T. Galatians. Latin. Epistula ad Galatas

82743